ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. 2. *Cor.* 5. 1
Cum Chriſtus apparuerit, vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. *Coloſſ.* 3. 4
Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & ceteri, qui ſpem non habent 2. *Theſſ.* 4. 12. Quoniam ipſe Dominus in juſſu & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo: & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. v. 15. 2. Tim. 2. 11. Philip. 3. 21. & 4. 3
Et vidi mortuos, magnos & puſillos, ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt: & alius Liber apertus eſt, qui eſt vitæ: & judicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris, ſecundum opera ipſorum. *Apoc.* 20. 12

*Divina potentia conſummatur.*

VIvent mortui, interfecti mei reſurgent. *Iſa.* 26. 19
Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulcris veſtris, populus meus; & inducam vos in terram Iſraël. *Ezech.* 37. 12
Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei: & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in reſurrectionem judicii. *Joan.* 5. 28
Hæc eſt autem voluntas ejus qui miſit me Patris: ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die: *Ibid.* 6. 39
Ego ſum reſurrectio, & vita, *Ibid.* 11. 25
Quod ſi ſpiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum a mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. *Rom.* 8. 11
Nunc autem Chriſtus reſurrexit a mortuis primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur. 1. *Cor.* 15. 20
Scientes quoniam qui ſuſcitavit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum. 2. *Cor.* 4. 14
Si enim credimus, quod Jeſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Jeſum, adducet cum eo. 1. *Theſſ.* 4. 13

*Pro meritorum conditione variatur.*

ET multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant ſemper. *Dan.* 12. 2
Qui autem docti fuerunt, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. *Ibid. v.* 3
Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus: ſimul & reſurrectionis erimus. *Rom.* 6. 5
Sed dicet aliquis: Quomodo reſurgent mortui? qualive corpore venient? Inſipiens, tu quod ſeminas non vivificatur, niſi prius moriatur. 1. *Cor.* 15. 35
Stella enim a ſtella differt in claritate: Sic & reſurrectio mortuorum. *Ibid. v.* 41
Noſtra autem converſatio in cælis eſt: unde etiam Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, ſecundum operationem, qua etiam poſſit ſubjicere ſibi omnia. *Philip.* 3. 20
Cum Chriſtus apparuerit, vita veſtra; tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. *Coloſſ.* 3. 4
Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus. 1. *Joan.* 3. 2

## T I T U L U S XVI.

Revelationes. *Vide & viſiones & Apparitiones.*

CUm autem eſſet Joſue in agro urbis Jericho, levavit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum: & ait: Noſter es, an adverſariorum? *Joſue* 5. 13
Contingit autem per univerſam Jeroſolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aera equites diſcurrentes, auratas ſtolas habentes, & haſtis quaſi cohortes armatos, &c. 2. *Mach.* 5. 2
Sed cum vehemens pugna eſſet, apparuerunt adverſariis de cælo viri quinque in equis, frænis aureis decori, ducatum Judæis præſtantes. *Ibid.* 10. 29
Cumque pariter prompto animo procederent (*Machabæus cum ſociis*) Jeroſolymis apparuit præcedens eos eques in veſte candida, armis aureis haſtam vibrans. *Ibid.* 11. 8

*Reverentia. Vide Honor.*

*Rex. Vide ſupra, Regnum.*

*Rixa. Vide Diſcordia.*

## T I T U L U S XVII.

*Robuſtorum exempla.*

N*Emrod* cœpit eſſe potens in terra. Et erat robuſtus venator coram Domino, &c. *Geneſ.* 10. 8

Sed



Sed percuſſerunt (*Iſraelitæ*) Moabitas in tempore illo, circiter decem millia, omnes robuſtos & fortes viros, nullus eorum evadere potuit. *Judic.* 3. 29
*Vide ibi fortitudinem Samſonis, & lege. Ibid.* 14. & 15. & 16
Et ſic factum eſt, ut omnes qui ceciderant de Benjamin in diverſis locis, eſſent viginti quinque millia, pugnatores ad bella promptiſſimi. *Ibid.* 20. 46
*Cis Pater Saulis erat* fortis robore. 1. *Reg.* 9. 1
Et reſpondens unus de pueris, ait (*Saul*): Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitem, ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum --- & Dominus eſt cum eo. *Ibidem* 16. 18
Dixitque David ad Saul: Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis: & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & illi conſurgebant adverſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos: Nam & leonem & urſum interfeci ego ſervus tuus, *cur non & Goliath in fortitudine Dei? Ibid.* 17. 34
*Sic & David robuſtum Goliath devicit.* 1. *Reg.* 17. 49
*Vide ibi illuſtrem catalogum & notabilem virorum valde fortium & eximie robuſtorum virorum.* 2. *Reg.* 23. 8. *item* 1. Paral. 11. 10. 2. Mach. 12. 27
Fueruntque filii Ulam viri robuſtiſſimi, & magno robore tendentes arcum. 1. *Par.* 8. 40. *Vide &* cap. 9. 13
Sed & de Gaddi transfugerunt ad David, cum lateret in deſerto, viri robuſtiſſimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum & haſtam: facies eorum quaſi facies leonis, & veloces, quaſi capreæ in montibus. *Ibid.* 12. 8

# S

*Sabbatum. Vide ſupra in Feſto Sabbati.*

## T I T U L U S I.

*Sacerdos.*

*Sacerdotum officia.*

SAnctificabo & tabernaculum teſtimonii cum altari, & Aaron cum filiis ſuis ut ſacerdotio fungantur mihi. *Exod.* 29. 44
Et adolebit incenſum ſuper eo Aaron, ſuave fragrans, mane, &c. *Ibid.* 30. 7
Arreptiſque Nadab & Abiu filii Aaron thuribulis, poſuerunt ignem, & incenſum deſuper, offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis præceptum non erat. *Lev.* 10. 1. Locutuſque eſt Moyſes ad Aaron: & ad Eleazar, & Ithmar, filios ejus: Capita veſtra nolite nudare, & veſtimenta nolite ſcindere, ne forte moriamini, & ſuper omnem cœtum oriatur indignatio. v. 6. Vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonii, ne moriamini: quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras. v. 9.
Dixit quoque Dominus ad Moyſen: loquere ad ſacerdotes filios Aaron, & dices ad eos: Ne contaminetur ſacerdos in mortibus civium ſuorum, &c. *Ib.* 21. 1 Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen ejus: incenſum enim Domini & panes Dei ſui offerent, & ideo ſancti erunt, &c. v. 6. Sint ergo ſancti (*Sacerdotes*) quia & ego ſanctus ſum, Dominus, qui ſanctifico eos, &c. v 8. *per totum caput. Vide & totum* c. 22.
Præcipe filiis Iſrael, ut afferant tibi oleum de olivis puriſſimum, & lucidum ad concinnandas lucernas jugiter, extra velum teſtimonii in tabernaculo fœderis. Ponetque eas Aaron a veſpere uſque ad mane coram Domino, cultu rituque perpetuo in generationibus veſtris. *Ibid.* cap. 24. 2
Aaron autem & filios ejus conſtitues ſuper cultum ſacerdotii. Externus, qui ad miniſtrandum acceſſerit, morietur. *Ibid.* 24. 2. Cap. 4. v. 5. & v. 11. & v. 24
Filii autem Aaron ſacerdotes clangent tubis: eritque hoc legitimum ſempiternum in generationibus veſtris. *Num.* 3. 10
Dixitque Dominus ad Aaron: Tu & filii tui, & domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem Sanctuarii: & tu & filii tui ſimul ſuſtinebitis peccata ſacerdotii veſtri. *Ibid.* 10. 8. Tu autem & filii tui cuſtodite ſacerdotium veſtrum: & omnia quæ ad cultum altaris pertinent, & intra velum ſunt, per ſacerdotes adminiſtrabuntur; ſi quis externus acceſſerit, occidatur. v. 7.
Accedentque ſacerdotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus ut miniſtrent ei, & benedicant in nomine ejus, & ad verbum eorum, omne negotium ut quicquid mundum vel immundum eſt, judicetur. *Ibid.* 18. 1. *Vide &* c. 20. 2
Et elegi eum ex omnibus tribubus Iſrael mihi in ſacerdotem, ut aſcenderet ad altare meum, adoleret mihi incenſum, & portaret Ephod coram me: & dedi domui patris tui omnia de

de ſacrificiis filiorum Iſrael. *Deut.* 21. 5. Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, qui juxta cor meum & animam meam faciet: & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Chriſto meo cunctis diebus. Ib. v. 35

Aaron vero & filii ejus adolebant incenſum ſuper altare holocauſti, & ſuper altare Thymiamatis, in omne opus Sancti ſanctorum: & ut precarentur pro Iſrael; juxta omnia quæ præceperat Moyſes ſervus Dei. 1. *Par.* 6. 49

Statimque ingreſſus poſt eum (*Ozias*) Azarias ſacerdos, & cum eo ſacerdotes Domini octoginta, viri fortiſſimi, reſtiterunt regi, atque dixerunt: Non eſt tui officii Ozia, ut adoleas incenſum Domino, ſed ſacerdotum, hoc eſt, filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad hujuſcemodi miniſterium: egredere de ſanctuario, ne contempſeris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo. Iratuſque Ozias, tenens in manu thuribulum ut adoleret incenſum, minabatur ſacerdotibus. Statimque orta eſt lepra in fronte ejus coram ſacerdotibus, in domo Domini ſuper altare Thymiamatis: Cumque reſpexiſſet eum Azarias pontifex & omnes reliqui ſacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, & feſtinato expulerunt eum. 2. *Par.* 26. 17

Sacerdotes autem & Levitæ filii Sadoc, qui cuſtodierunt cæremonias ſanctuarii mei, cum errarent filii Iſrael a me, ipſi accedent ad me ut miniſtrent mihi; & ſtabunt in conſpectu meo ut offerant mihi adipem & ſanguinem, ait Dominus Deus. Ipſi ingredientur ſanctuarium meum, & ipſi accedent ad menſam meam, ut miniſtrent mihi, & cuſtodiant cæremonias meas. *Ezech.* 44. 15

Labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt: *Malach.* 2. 7

Qui in diebus carnis ſuæ (*ſcilicet Chriſtus*) preces ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere a morte, cum clamore valido & lacrimis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia, &c. *Hebr.* 5. 7

Et omnis quidem ſacerdos præſto & quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ numquam poſſunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei. *Ibid.* 10. 11

*Sacerdotum debita ſuſtentatio.*

SUmes quoque pectuſculum de ariete, quo initiatus eſt Aaron, ſanctificabiſque illud elevatum coram Domino, & cedet in partem tuam. *Exod.* 29. 26

Quod autem reliquum fuerit de ſacrificio, erit Aaron & filiorum ejus, Sanctum ſanctorum de oblationibus Domini. *Lev.* 2. 3. Quidquid autem reliquum eſt, erit Aaron, & filiorum ejus, Sanctum ſanctorum de oblationibus Domini. Ib. v. 10. Cap. 5. 13

Omnis maſculus de ſacerdotali genere, in loco ſancto veſcetur his carnibus, quia Sanctum ſanctorum eſt. *Ibid.* 7. 6. Armus quoque dexter de pacificorum hoſtiis cedet in primitias ſacerdotis. Ib. v. 32. Cap. 10. 13. Cap. 24. 9.

Dabiſque pecuniam Aaron & filii ejus pretium eorum qui ſupra ſunt. *Num.* 3. 48. Deut. 18. 11. 1. Reg. 2. 28

Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Iſrael, ad ſacerdotem pertinent. *Ib.* 5. 9. Et quidquid in Sanctuarium offertur a ſingulis, & traditur manibus ſacerdotis, ipſius erit. Ib. v. 10.

Non habebunt ſacerdotes & Levitæ, & omnes qui de eadem tribu ſunt, partem & hereditatem cum reliquo Iſrael, quia ſacrificia Domini, oblationes ejus comedent, & nihil aliud accipient de poſſeſſione fratrum ſuorum: Dominus enim ipſe eſt hereditas eorum ſicut locutus eſt illis. *Deut.* 18. 1. *Vide idem* Lev. 18. 8. &c. &c.

Pecuniam vero pro delicto, & pecuniam pro peccatis, non inferebant in templum Domini, quia ſacerdotum eſt. 4. *Reg.* 12. 16

Præcepit etiam (*Ezechias*) populo habitantium Jeruſalem, ut darent partes ſacerdotibus, & Levitis, ut poſſent vacare legi Domini. 2. *Par.* 31. 4. 1. Par. 6. 54

Et primitiva filiorum noſtrorum, & pecorum noſtrorum, ſicut ſcriptum eſt in lege, & primitiva boum noſtrorum, & ovium noſtrarum, ut offerrentur in domo Dei noſtri, ſacerdotibus qui miniſtrant in Domo Dei noſtri, &c. 1. *Eſd.* 10. 36

Et addidit (*Deus*) Aaron gloriam, & dedit illi hereditatem, & primitias frugum terræ diviſit illi. Panem ipſis in primis paravit in ſatietatem: nam & ſacrificia Domini edent, quæ dedit illi, & ſemini ejus. *Eccli.* 45. 25

*Sacerdotes & miniſtri domus Dei nullum vectigal & tributum dare debent.*

VObis quoque notum facimus de univerſis ſacerdotibus, & Levitis, & cantoribus, & janitoribus, Nathinæis, & miniſtris domus Dei hujus, ut vectigal, & tributum, & annonas, non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos. 1. *Eſdr.* 7. 24

In omni virtute tua dilige eum qui te fecit: & miniſtros ejus ne derelinquas. *Eccli* 7. 32

*Sacerdotum legis indumenta, ornamenta & ordinatio.*

D*Eſcribuntur pontificalia indumenta Aaronis, & filiorum ejus. Exod.* 28. Cap. 39. 1

Sed & hoc facies, ut mihi in ſacerdotio conſecrentur. Tolle vitulum de armento, & arie-



arietes duos immaculatos, paneſque azymos, & cruſtulam abſque fermento, quæ conſperſa ſit oleo, &c. *Exod.* 29. 1. Et oleum unctionis fundes ſuper caput ejus: atque hoc ritu conſecrabitur. Ib. v. 7

Applicabiſque Aaron & filios ejus ad fores tabernaculi teſtimonii, & lotos aqua indues ſanctis veſtibus, ut miniſtrent mihi, & unctio eorum in Sacerdotium ſempiternum proficiat. *Ib.* 40. 12

Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Tolle Aaron cum filiis ſuis, veſtes eorum, & unctionis oleum. *Levit.* 8. 1. Veſtivit pontificem ſubucula linea, accingens eum balteo, & induens eum tunica hyacinthina, & deſuper humerale impoſuit, quod adſtringens cingulo, aptavit rationali, in quo erat Doctrina & Veritas. Ib. v. 7

*Vide & Decima & Primitia.*

*Sacerdotibus dabantur Decimæ & Pritimiæ.*

OMnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Iſrael, ad ſacerdotem pertinent: & quidquid in ſanctuarium offertur a ſingulis, & traditur manibus ſacerdotis, ipſius erit. *Num.* 5. 9

Locutuſque eſt Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi cuſtodiam primitiarum mearum. Omnia quæ ſanctificantur a filiis Iſrael, tradidi tibi & filiis tuis pro officio ſacerdotali legitima ſempiterna. *Ibid.* 18. 8. Primitias autem, quas voverint & obtulerint filii Iſrael, tibi dedi, & filiis tuis, ac filiabus tuis, jure perpetuo: qui mundus eſt in domo tua, veſcetur eis: &c. Ib. v. 11

Hoc erit judicium ſacerdotum a populo, & ab his qui offerunt victimas: ſive bovem, ſive ovem immolaverint, dabunt ſacerdoti armum ac ventriculum. *Deut.* 18. 3

*Ut liberi a ſolicitudine comparandi victum poſſint vacare legi Dei.*

PRæcepit etiam (*Ezechias*) populo habitantium Jeruſalem, ut darent partes ſacerdotibus, & Levitis, ut poſſent vacare legi Domini. 2. *Par.* 31. 4

*Sacerdotum Auctoritas.*

VEnieſque ad ſacerdotes, &c. qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint *tibi*, &c. *Deut.* 17. 9

Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio — morietur homo ille, &c. *Ibid.* v. 12

Et ad verbum eorum (*ſacerdotum*) omne negotium — judicetur. *Ibid.* 21. 5

Labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt. *Malach.* 2. 7

Vos eſtis Presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum. *Judith.* 8. 21

Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica ſacerdotes — Da illis partem — primitiarum & purgationis. *Eccli.* 7. 33

Et cum fuerit controverſia, ſtabunt (*ſacerdotes*) in judiciis meis, & judicabunt. *Ezech.* 44. 24

*Sacerdotum in populum benedictio.*

AT vero Melchiſedech — ſacerdos Dei altiſſimi, benedixit ei *Abraham. Gen.* 14. 19

*Dixit Dominus ad Moyſen*: loquere Aaron & filiis ejus: Sic benedicetis filiis Iſrael & dicetis, &c. *Num.* 6. 23

Appropinquante autem jam prælio, ſtabit ſacerdos ante aciem, *& benedicet populo*. *Deut.* 20. 2

Accedentque ſacerdotes — & benedicant in nomine Dei. *Ibid.* 21. 5

Et benedixit Heli Elcanæ, & uxori ejus. 1. *Reg.* 2. 20

Factaque eſt grandis celebritas in Jeruſalem &c. Surrexerunt autem ſacerdotes atque Levitæ benedicentes populo: & exaudita eſt vox eorum, pervenitque oratio in habitaculum ſanctum cæli. 2. *Par.* 30. 26

*Sacerdos bonus Deum pie honorat.*

SAcerdotes quoque qui accedunt ad Dominum: ſanctificentur, ne percutiat eos. *Exod.* 19. 22

Portabitque Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt, & ſanctificaverunt filii Iſrael, in cunctis muneribus & donariis ſuis. *Ibid.* 28. 38

Facies & labrum æneum cum baſi ſua ad lavandum — Et miſſa aqua, lavabunt in eo Aaron, & filii ejus manus ſuas ac pedes, quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonii. *Ibid.* 30. 18

Accede ad altare, & immola pro peccato tuo: offer holocauſtum (*ait Moyſes Aaroni*) & deprecare pro te & pro populo. *Levit.* 9. 7

Sanctificabor in his qui appropinquant mihi. *Ibid.* 10. 3

Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen ejus: incenſum enim Domini, & panes Dei ſui offerunt, & ideo ſancti erunt. *Ibid.* 21. 6

Omnis homo qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea quæ conſecrata ſunt, & quæ obtulerunt filii Iſrael Domino, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino. *Ibid.* 22. 3

Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, qui juxta cor meum & animam meam faciet. 1. *Reg.* 2. 35

Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis: & dedi ei timorem, & timuit me, & a facie nominis mei pavebat. *Malach.* 2. 5

Omnis namque pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis. *Hebr.* 5. 1

*Honeſte ſe gerit in victu.*

VInum, & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonii, ne moriamini. *Lev.* 10. 2

Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe --- ſobrium &c. 1. *Tim.* 3. 2

Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, &c. *Tit.* 1. 7

*Geſtu.*

SAcerdotes tui induantur juſtitiam. *Pſalm.* 131. 9

Mundamini, qui fertis vaſa Domini. *Iſa.* 52. 11

Et viduam, & repudiatam non accipient uxores, ſed virgines de ſemine domus Iſrael. *Ezech.* 44. 22

Teipſum caſtum cuſtodi. 1. *Tim.* 5. 22

Juvenilia autem deſideria fuge, ſectare vero juſtitiam, fidem, ſpem, caritatem, & pacem cum his qui invocant Dominum de corde puro. 2. *Tim.* 2. 22

*Proximum ædificet verbo.*

ET nunc fratres, quoniam vos eſtis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium veſtrum corda illorum erigite. *Judith* 8. 21

Et populum meum docebunt quid ſit inter ſanctum & pollutum, & inter mundum & immundum oſtendet ei. Et cum fuerit controverſia, ſtabunt in judiciis meis, & judicabunt. *Ezech.* 44. 23

Labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt. *Malac.* 2. 7

Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe, *& fide.* Sed cum modeſtia & timore, conſcientiam habentes bonam: ut in eo quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur veſtram bonam in Chriſto converſationem. 2. *Petr.* 3. 15

*Exempla.*

SIc nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. 1. *Cor.* 4. 1

Nemini dantes ullam offenſionem; ut non vituperetur miniſterium noſtrum: ſed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros; in multa patientia, &c. 2. *Cor.* 6. 3

Nemo adoleſcentiam tuam contemnat: ſed exemplum eſto fidelium. 1. *Tim.* 4. 12

In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum. *Tit.* 2. 7

*Sacerdos bonus ad officium vocatur & conſecratur.*

APplica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis ſuis de medio filiorum Iſrael, ut ſacerdotio fungantur mihi. *Exod.* 28. 1

Aaron & filios ejus unges, ſanctificabiſque eos, ut ſacerdotio fungantur mihi. *Ibid.* 30. 30

Applicabiſque Aaron & filios ejus ad fores tabernaculi teſtimonii, & lotos aqua, indues ſanctis veſtibus, ut miniſtrent mihi, & unctio eorum in ſacerdotium ſempiternum proficiat. *Exod.* 40. 12

Cumque ſanctificans aſperſiſſet altare ſeptem vicibus, unxit illud, & omnia vaſa ejus, labrumque cum baſi ſua ſanctificavit oleo. Quod fundens ſuper caput Aaron, unxit eum: & conſecravit. *Lev.* 8. 11

Quem cum immolaſſet Moyſes, ſumens de ſanguine ejus (*arietis immolati*) tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, & pollicem manus ejus dextræ, ſimiliter & pedis. *Ibid.* v. 23

De oſtio quoque tabernaculi non exibitis ſeptem diebus --- ſeptem enim diebus finitur conſecratio. *Ibid.* v. 33

Homo de ſemine tuo, per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo. Nec accedet ad miniſterium ejus: ſi cæcus fuerit, ſi claudus --- ſi gibbus, ſi lipus, ſi --- Ego Dominus, qui ſanctifico eos. *Ibid.* 21. 17

Et elegit ſacerdotes ſine macula, voluntatem habentes in lege Dei: & mundaverunt Sancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. 1. *Mach.* 4. 42

Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. *Tit.* 1. 5

Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. *Hebr.* 5. 4

Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas eccleſias presbyteros --- commendaverunt eos Domino. *Actor.* 13. 22

*A bonis honoratur.*

EMit igitur Joſeph omnem terram Ægypti, vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas præ magnitudine Famis. Subjecitque eam Pharaoni. Et cunctos populos ejus --- præter terram ſacerdotum, quæ a rege tradita fuerat eis: quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur: *Gen.* 47. 20

Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio --- morietur. *Deut.* 17. 12

Presbytero humilia animam tuam. *Eccli.* 4. 7

In tota anima tua time Dominum, & ſacerdotes illius ſanctifica. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit: & miniſtros ejus ne derelinquas. *Ibid.* 7. 31

Hono-



Honorifica ſacerdotes --- da illis partem, ſicut mandatum eſt tibi, primitiarum & purgationis. *Eccli.* v. 33

Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. 1. *Tim.* 5. 17

*A Deo remuneratur.*

OMnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Iſrael, ad ſacerdotem pertinent: & quidquid in ſanctuarium offertur a ſingulis, & traditur manibus ſacerdotis, ipſius erit. *Num.* 5. 9

Ecce dedi tibi cuſtodiam primitiarum mearum. Omnia quæ ſanſtificantur a filiis Iſrael, tradidi tibi & filiis tuis pro officio ſacerdotali, legitima ſempiterna. *Ibid.* 18. 8

In terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos; ego pars & hereditas tua in medio filiorum Iſrael. *Ibid.* v. 20

Quam ob rem non habuit Levi partem, neque poſſeſſionem cum fratribus ſuis: quia ipſe Dominus poſſeſſio ejus eſt. *Deut.* 10. 9

Non erit autem eis hereditas; ego hereditas eorum -- Victimam & pro peccato & pro delicto ipſi comedent; & omne votum in Iſrael ipſorum erit. Et primitiva omnium primogenitorum, & omnia libamenta ex omnibus quæ offeruntur, ſacerdotum erunt. *Ezech.* 44. 28.

Si in viis meis ambulaveris, & cuſtodiam meam cuſtodieris: tu quoque judicabis domum meam, & cuſtodies atria mea, &c. *Zach.* 3. 7

*Sacerdos malus ambitioſe ſe ingerit.*

ARreptis Nadab & Abiu filii Aaron thuribulis, poſuerunt ignem, & incenſum deſuper, offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis præceptum non erat. Egreſſuſque ignis a Domino devoravit eos, & mortui ſunt coram Domino. *Lev.* 10. 1

Homo quilibet de domo Iſrael, ſi occiderit bovem aut ovem, ſive capram, in caſtris vel extra caſtra, & non obtulerit ad oſtium tabernaculi oblationem Domino, ſanguinis reus erit -- ideo ſacerdoti offerre debent filii Iſrael hoſtias ſuas. *Ibid.* 17. 3

*Core ambitioſus cum ſuis interiit. Num.* 16. 31

Refer virgam Aaron in tabernaculum teſtimonii, ut ſervetur ibi in ſignum rebellium filiorum Iſrael, & quieſcant querelæ eorum a me, ne moriantur. *Ibid.* 17. 10

Si quis externus acceſſerit, occidetur. *Ibid.* 18. 7

*Jeroboam thus ſuper altare ſuum jacens, per Prophetam a Deo miſſum, increpatus eſt.* 3. *Reg.* 13. 1

*Ozias Rex lepra percuſſus fuit, eo quod officium ſibi uſurpare voluit ſacerdotis.* 2. *Par.* 26. 19

Quia contra illum ſteterunt alieni -- Vidit Dominus Deus & non placuit illi, & conſumpti ſunt in impetu iracundiæ. *Eccli.* 45. 22

Sacerdotes non dixerunt: Ubi eſt Dominus? & tenentes legem, neſcierunt me, & paſtores prævaricati ſunt in me. *Jerem.* 2. 8

*Proximum ſcandaloſe inficit.*

SAcerdotes ejus contempſerunt legem meam, & polluerunt ſanctuaria mea: inter ſanctum & profanum non habuerunt diſtantiam: & inter pollutum & mundum non intellexerunt. *Ezech.* 22. 26

*Semetipſum opprobrioſum reddit.*

COronas certe aureas habent ſuper capita ſua dii illorum: unde ſubtrahunt ſacerdotes ab eis aurum & argentum, & erogant illud in ſemetipſos. Dant autem & ex ipſo proſtitutis, & meretrices ornant: & iterum cum receperint illud a meretricibus, ornant deos ſuos. *Baruch* 6. 9

Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi. *Oſee* 4. 6. Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos. Ib. v. 9

Audite hoc ſacerdotes, & attendite domus Iſrael, & domus regis auſcultate; quia vobis judicium eſt, quoniam laqueus facti eſti ſpeculationi, & rete expanſum ſuper Thabor. Et victimas declinaſtis in profundum. *Ibid.* 5. 1

Accingite vos, & plangite ſacerdotes, ululate miniſtri altaris; Ingredimini, cubate in ſacco miniſtri Dei mei: quoniam interiit de domo Dei veſtri ſacrificium & libatio. *Joel.* 1. 13

Sacerdotes ejus in mercede docebant. *Mich.* 3. 11

Sacerdotes ejus polluerunt ſanctum, injuſte egerunt contra legem. *Soph.* 3. 4

Ad vos, o ſacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, & dixiſtis: In quo deſpeximus nomen tuum? Offertis ſuper altare meum panem pollutum, &c. *Malach.* 1. 6

Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit dominus exercituum: & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. *Ibid.* v. 10

Vos autem receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege: irritum feciſtis pactum Levi, dicit Dominus exercituum. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, ſicut non ſervaſtis vias meas, & accepiſtis faciem in lege. *Ibid.* 2. 8

*Sacerdotum cupiditas.*

TOllant mihi primitias: ab omni homine, qui offert ultroneus (*non coactus*) accipietis eas. *Exod.* 25. 2

Nihil aliud poſſidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in uſus eorum & neceſſaria ſeparavi. *Num.* 18. 23



Obla-

Oblationem ſpontaneam manus tuæ, quam offeres, &c. *Deut.* 16. 10

Sacrificia Domini & oblationes ejus comedent, & nihil aliud accipient de poſſeſſione fratrum ſuorum. *Ibid.* 18. 1

*Filii Heli ſacrificia defraudabant & ſibi attribuebant malitioſe.* 1. *Reg.* 2. 12

Quare ſacra tecta non inſtauratis templi? nolite ergo amplius accipere pecuniam, juxta ordinem veſtrum. 4. *Reg.* 12. 7

Numquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta? &c. *Jere.* 7. 11

Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum ſublevabunt animas eorum. *Oſee* 4. 8

Et vinum damnatorum bibebant in Domo Dei ſui. *Amos* 2. 8

Fortitudinem Gentium comedetis, & in gloria earum ſuperbietis. *Iſa.* 61. 6

Et eduxit unum de leunculis ſuis, & leo factus eſt: & didicit capere prædam, hominemque comedere. *Ezech.* 19. 3

Principes ejus in medio illius, quaſi lupi rapientes prædam ad effundendum ſanguinem, & ad perdendas animas, & avari ad ſectanda lucra. *Ibid.* 22. 27

Quia multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum: factæ ſunt ei aræ in delictum. *Oſee.* 8. 11

Væ qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ. *Amos* 6. 1

Quis in vobis, qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuito? *Malac.* 1. 10

Et ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo. *Matt.* 21. 12

Non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. Nec enim debent filii parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis. 2. *Cor.* 12. 14

Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt, non quæ ſunt Jeſu Chriſti. *Philip.* 2. 21

Non quia quæro datum, ſed requiro fructum abundantem in ratione veſtra. *Ibid.* 4. 17

Nocte & die operantes, ne quem veſtrum gravaremus, *prædicavimus in vobis evangelium Dei.* 2. *Theſſ.* 3. 8

Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe --- non cupidum, &c. 1. *Tim.* 3. 2

Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem --- non turpis lucri cupidum. *Tit.* 1. 7

Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. *Actor.* 20. 29

Argentum & aurum, aut veſtem nullius concupivi, ſicut ipſi ſcitis: quoniam ad ea que mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ. *Ibid. v.* 33

Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie. 1. *Petr.* 5. 2

*Sacerdotes mali & eorum punitio.*

*Core, Dathan, & Abiron ſeditionem movent, hoſque vivos terra abſorbet, illum vero cum ſociis devorat ignis, ſed & alios* 14700. *murmurantes conſumpſit incendium. Num.* 16

*Ob peccatum filiorum Heli, & nimiam patris indulgentiam, fit illis & domui ejus comminatio, ac mors filiorum prædicitur.* 1. *Reg.* 2. Heli autem erat ſenex valde, & audivit omnia, quæ faciebant filii ſui univerſo Iſraeli: & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obſervabant ad oſtium tabernaculi. v. 22

Prædixi enim ei (*Heli, & Dominus*) quod judicaturus eſſem domum ejus in æternum propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios ſuos, & non corripuerit eos. *Ibid.* 3. 13

Abiathar quoque ſacerdoti dixit rex (*Salomon*) Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es: ſed hodie te non interficiam, quia portaſti arcam Domini Dei coram David patre meo, & ſuſtinuiſti laborem in omnibus, in quibus laboravit pater meus. 3. *Reg.* 2. 26

Væ impio in malum: retributio enim manuum ejus fiet ei. *Iſa.* 3. 11

*Graviter expoſtulat Dominus cum filiis Iſrael, & Juda, ac potiſſimum cum paſtoribus ac Prophetis, quod non reſpicientes accepta a Deo varia beneficia, adoraverint idola, a quibus nihil boni expectare poterant, propterea devaſtandos prædicit. Jerem.* 2. 5. Oſee 5. 1

Milvus in cælo cognovit tempus ſuum, turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus adventus ſui: populus autem meus non cognovit judicium Domini. *Ibidem* 8. 7. Iſa. 42. 2

Conticuit populus meus, eo quod non habuerit ſcientiam: quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio (*Iſrael*) fungaris mihi: & oblita es legis Dei tui, obliviſcar filiorum tuorum & ego. *Oſee* 4. 6. Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos: & viſitabo ſuper eum vias ejus, & cogitationes ejus reddam ei. Ib. v. 9. *vide idem* Iſa. 24. 2

*Propheta conqueritur Dominum ab Iſrael non honorari, neque timeri, quodque ſacerdotes deſpiciant nomen Domini, quorum rejicit ſacrificia, gratam habens oblationem, quæ in omni loco ei munda offertur. Malach.* 1. Soph. 3. 4

O *Sacerdotes* Si nolueritis audire, & ſi nolueritis ponere ſuper cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris, & maledicam illis: quoniam non poſuiſtis ſuper cor. *Malach.* 2. 1. Vos autem receſ-



receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege: irritum feciſtis pactum Levi, dicit Dominus exercituum. Ibid. v. 8

Et ſedit Demetrius ſuper ſedem regni ſui: & venerunt ad eum viri iniqui & impii ex Iſrael: & Alcimus dux eorum, qui volebat fieri ſacerdos. 1. *Mach.* 7. 4. Sed & Alcimum impium conſtituit in ſacerdotium, & mandavit ei facere ultionem in filios Iſrael. v. 9. Et ſatis agebat Alcimus pro principatu ſacerdotii ſui. Ibid. v. 21

*Sacerdotium ſpirituale.*

SI ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea eſt enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta. *Exod.* 19. 5

Vos autem ſacerdotes Domini vocabimini: Miniſtri Dei noſtri, dicetur vobis. *Iſa.* 61. 6

Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus adquiſitionis: ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum. 1. *Petr.* 2. 9

Qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum, & ſacerdotes Deo & Patri ſuo. *Apoc.* 1. 5

Et feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes: & regnabimus ſuper terram. *Ibid.* 5. 10

*Sacerdos, non lex, aut Scriptura ſola, eſt judex. Vide ſupra.*

SI difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſſam & cauſſam, lepram & lepram: & judicum inter portas tuas videris verba variari: ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieſque ad ſacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem. *Deut.* 17. 8. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael: cunctuſque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Ibid. v. 12

Labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt. *Malach.* 2. 7

## T I T U L U S II.

*Sacramenta & Sacramentalia.*

*Sacramenta novæ legis vere cauſſant gratiam tamquam cauſſæ inſtrumentales.*

QUi manducat meam carnem, &c. in me manet & ego in illo, &c. *Joan.* 6. 57. *vide totum contextum.*

Baptizetur unuſquiſque veſtrum --- in remiſſionem peccatorum. *Actor.* 2. 38

Tunc imponebant manus ſuper ipſos, & accipiebant Spiritum Sanctum. *Ibid.* 8. 17

Salvos *nos* facit Baptiſma. 1. *Pet.* 3. 21. Tit. 3. 5

*Sacramentum Confirmationis.*

TUnc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. *Actor.* 8. 17

Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos. *Ibid.* 19. 6

Qui autem confirmat nos nobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus: qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris. 2. *Cor.* 1. 21. *Vide &* Hebr. 6. 2. *de doctrina impoſitionis manuum.*

In quo & vos, cum audiſſetis verbum veritatis (Evangelium ſalutis veſtræ) in quo (*Chriſto*) & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis Sancto. *Epheſ.* 1. 13

*Sacramentum Pænitentiæ.*

ET quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo, &c. *Matt.* 18. 18

Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. *Joan.* 20. 22

Pro Chriſto ergo legatione fungimur. 2. *Cor.* 5. 20

*Sacramentum extremæ unctionis.*

INfirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. *Jac.* 5. 14

*Sacramentum Ordinis.*

SEgregate mihi Saulum & Barnabam, (*inquit Spiritus Sanctus*) in opus, ad quod aſſumpſi eos. Tunc jejunantes, & orantes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos. *Actor.* 13. 2

Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei. *Ibid.* 20. 28

Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii. 1. *Tim.* 4. 14

Manus cito nemini impoſueris, &c. *Ibid.* 5. 22

Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum. 2. *Tim.* 1. 6

Et conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. *Tit.* 1. 5

Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, &c. *Joan.* 20. 22

*Sacramentum Matrimonii.*

PRopter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. *Ephеſ.* 5. 31

Viri, diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam. *Ibid.* v. 25

Salvabitur autem (*mulier*) per filiorum generationem; ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſocietate. 1. *Tim.* 2. 15

*Sacramentalia ſcilicet aqua luſtralis, agnus Dei, &c. &c. recte adhibentur.*

QUia omnis creatura Dei bona eſt, &c. ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. 1. *Tim.* 4. 4

*Sacrificium Novi Teſtamenti. Vide Miſſa.*

## TITULUS III.

Salus. *Vide & beatitudo.*

*Salus ſpiritualis quomodo adquiratur.*

DOmine Deus meus clamavi ad te, & ſanaſti me, *Pſalm.* 29. 3

Sana animam meam quia peccavi tibi. *Ibid.* 40. 5

Qui ſanat contritos corde: & alligat contritiones eorum. *Ibid.* 146. 3

Ecce Deus noſter iſte expectavimus eum, & ſalvabit nos. *Iſa.* 25. 9

Iſrael ſalvatus eſt in Domino ſalute æterna. *Ibid.* 45. 17

Deus juſtus, & ſalvans non eſt præter me. *Ibid.* v. 21

Sana me Domine, & ſanabor: ſalvum me fac, & ſalvus ero: quoniam laus mea tu es. *Jer.* 17. 14

Et ſalvabo eos in Domino Deo ſuo. *Oſea* 1. 7

Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me inveniet eam. *Matt.* 16. 25

Salus animæ in ſanctitate juſtitiæ melior eſt omni auro, &c. *Eccli.* 30. 15

*Salus a ſolo Deo eſt.*

DOminus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? *Pſalm.* 26. 1. *Vide &* Pſalm. 3. 9. 17. 3. 32. 16. 72. 25

Tu es ipſe rex meus, & Deus meus: qui mandas ſalutes Jacob. *Ibid.* 43. 5

Quia ego Dominus Deus tuus, Sanctus Iſrael, Salvator tuus, &c. &c. *Iſa.* 43. 3

Ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt abſque me Salvator. *Ibid.* v. 11

Vere in Domino Deo noſtro ſalus Iſrael. *Jerem.* 3. 23

Ego autem Dominus Deus tuus, (*qui te eduxi*) ex terra Æypti: & Deum abſque me neſcies & Salvator non eſt præter me. *Oſea* 13. 4

Unus eſt legislator, & judex, qui poteſt perdere, & liberare. *Jacob.* 4. 12

*Ex Dei gratia & miſericordia per Chriſtum confertur.*

C*Hriſtus* eſt lapis *offenſionis*, *&c.* Et non eſt in alio aliquo ſalus. *Actor.* 4. 11. ad Epheſios 2. v. 5. & 8

Apparuit autem gratia Dei Salvatoris noſtri, &c. *Tit.* 2. 11

*Chriſtus* Unde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum. *Heb.* 7. 25. *Vide & Chriſtus.*

*Salus corporalis mirabiliter commendatur.*

E*T melior eſt* corpus validum, quam cenſus immenſus. *Nulla divitiæ meliores ſunt ſanitate corporis, &c. Eccli.* 30. 15

*Salubriter conſervatur.*

INſuper & univerſos languores & plagas, quæ non ſunt ſcriptæ in volumine legis hujus, inducet Dominus ſuper te, donec te conterat. *Deut.* 28. 61

Jucunditas cordis hæc eſt vita hominis — & triſtitiam longe repelle a te, multos enim occidit triſtitia, & non eſt utilitas in illa. Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus ſenectam adducet cogitatus. *Eccli.* 30. 23. *Vide totum contextum.*

In omnibus operibus tuis eſto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi. *Ib.* 31. 27

Ecce ſanus factus es: jam noli peccare. *Joan.* 5. 14

## TITULUS IV.

*Salutatio.*

*Salutationis exempla.*

M*Oyſes* egreſſus in occurſum cognati ſui, adoravit, & oſculatus eſt eum: ſalutaveruntque ſe mutuo verbis pacificis. *Exod.* 18. 7

Apparuit ei (*Median*) Angelus Domini, & ait: Dominus tecum, virorum fortiſſime. *Judic.* 6. 12

Ingreſſi ſunt domum adoleſcentis Levitæ --- ſalutaveruntque eum verbis pacificis. *Ibid.* 18. 15

Et egreſſus eſt Saul obviam ei (*Samuel*), ut ſalutaret eum. 1. *Reg.* 13. 10

Miſi



Miſit (*David*) decem juvenes, & dixit eis: Aſcendite in Carmelum, & venietis ad Nabal, & ſalutabitis eum ex nomine meo pacifice. 1. *Reg.* 25. 5. 2. Reg. 8. 10

Accedens autem David ad populum, ſalutavit eos pacifice. *Ibid.* 30. 21

Et ignorans (*Tobias*) quod Angelus Dei eſſet, ſalutavit eum, & dixit: Unde te habemus bone juvenis? *Tob.* 5: 6

Et venit (*Nicanor*) ad Judam, & ſalutaverunt ſe invicem pacifice. 1. *Mac.* 7. 29

Aſcendit Nicanor in montem Sion: & exierunt de ſacerdotibus populi ſalutare eum in pace. *Ibid.* v. 33

Et occurrit Jonathas regi in Joppen cum gloria, & invicem ſe ſalutaverunt, & dormierunt illic. *Ibid.* 11. 6

Intrantes autem in domum: ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui. *Matt.* 10. 12

Et ecce Jeſus occurrit illis (*mulieribus*) dicens: Avete. Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum. *Ibid.* 28. 9

Et ingreſſus Angelus ad (*Mariam*) dixit: Ave, gratia plena: Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus. *Luc.* 1. 28

Et intravit (*Maria*) in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth. *Ibid.* v. 40

Stetit (*Jeſus*) in medio eorum (*diſcipulorum*) & dicit eis: Pax vobis. *Ibid.* 24. 36

Salutate Priſcam, & Aquilam, adjutores meos. *Rom.* 16. 3. 2. Tim. 4. 19

Salutant vos Eccleſiæ Aſiæ. Salutant vos in Domino multum, Aquila & Priſcilla, cum domeſtica ſua Eccleſia. 1. *Cor.* 16. 19

Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in oſculo ſancto. *Ibid.* v. 20. *Vide &* Phil. 4. 21. Coloſſ. 4. 12. Tit. 3. 15. Hebr. 13. 24. 1. Petr. 5. 13. 3. Joan. v. 14

## TITULUS V.

*Saltatrix. Vide Chorea.*

CUm ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius. Virginem ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris in decore illius. *Eccli.* 9. 4

## TITULUS VI.

*Sanctus & Sancti.*

*Sanctus eſt Deus.*

ET clamabunt alter (*cherubin*) ad alterum, & dicebant Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus. *Iſa.* 6. 3

Et quatuor animalia -— requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. *Apoc.* 4. 8

*Sancti & mundi eſſe debemus.*

VIri ſancti eritis mihi. *Exod.* 22. 31

Ego enim ſum Dominus Deus veſter: ſancti eſtote, quia ego ſanctus ſum. *Levit.* 11. 44

*Ait Dominus ad Moyſen*: Loquere ad omnem cœtum filiorum Iſrael, & dices ad eos: Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum, Dominus Deus veſter. *Ibid.* 19. 2

Sanctificamini & eſtote ſancti, quia ego ſum Dominus Deus veſter. *Ibid.* 20. 7. Eritis mihi ſancti, quia ſanctus ſum ego Dominus, & ſeparavi vos a ceteris populis, ut eſſetis mei. Ibidem v. 26

Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen ejus: incenſum enim Domini, & panes Dei ſui offerunt, & ideo Sancti erunt. *Levit.* 21. 6

*Sacerdotes, quia Deo conſecrati ſunt*, Sint ergo ſancti, quia & ego ſanctus ſum, Dominus, qui ſanctifico eos. *Ibid.*. v. 8

Memores præceptorum Domini, faciant ea, ſintque ſancti Deo ſuo. *Num.* 15. 40

Populus ſanctus es Domino Deo tuo. *Deut.* 7. 6. cap. 14. 2

Et Dominus elegit te hodie, ut ſis ei populus peculiaris, ſicut locutus eſt tibi, & cuſtodias omnia præcepta illius: & faciat te excelſiorem cunctis gentibus, quas creavit, in laudem, & nomen, & gloriam ſuam: ut ſis populus ſanctus Domini Dei tui, ſicut locutus eſt. *Ibid.* 26. 18

Ut ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi, in ſanctitate & juſtitia coram ipſo. *Luc.* 1. 74

Ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis —. ita & nos in novitate vitæ ambulemus *Rom.* 6. 4. *Vide ibid.* v. 13. & 19

Obſecro itaque vos fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, &c. &c. *Ibid.* 12. 1. Philip. 4. 18

*Deus* elegit nos in ipſo (*Chriſto*) ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in caritate. *Epheſ.* 1. 4. cap. 5. 3

Viri, diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit eccleſiam ſuam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans (*eam*) lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet

ipſe

ipſe ſibi glorioſam eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſcemodi ſed ut ſit ſancta & immaculata. *Epheſ.* 5. 25. *Vide & v.* 17

Ut probetis potiora, ut ſitis ſinceri, & ſine offenſa in diem Chriſti. *Philip.* 10. 10. cap. 2. 15. 1. Theſſ. 3. 13. c. 5. 23

*Chriſtus*, Et cum vos eſſetis aliquando alienati, & inimici ſenſu in operibus malis: nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos ſanctos, & immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo. *Coloſſ.* 1. 21

Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: ut abſtineatis vos a fornicatione. 1. *Theſs.* 4. 3. Rom. 1. 12. 2. Coloſſ. 3. 12

Et ipſi in omni converſatione ſancti ſitis: quoniam ſcriptum eſt: Sancti eritis, quoniam ego Sanctus ſum. 1. *Pet.* 1. 15. c. 2. 9

Et omnis qui habet hanc ſpem in eo (*Deo*), ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt. 1. *Joan.* 3. 3

Et qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc: & ſanctus, ſanctificetur adhuc. *Apoc.* 22. 11

*Sanctitas a Deo datur.*

NE polluatis nomen meum ſanctum --- Ego Dominus qui ſanctifico vos. *Levit.* 22. 32

Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia: ut integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine quærela in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur. 1. *Theſs.* 5. 23

In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel. *Hebr.* 10. 10

Propter quod & Jeſus, ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. *Ibid.* 13. 12

Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt. 1. *Joan.* 3. 3

*Studioſe in bono ordinatur.*

VAde ad populum, & ſanctifica illos hodie & cras, laventque veſtimenta ſua & ſint parati in diem tertium. *Exod.* 19. 10

Deſcenditque Moyſes de monte ad populum; & ſanctificavit eum. Cumque laviſſent veſtimenta ſua, ait ad eos: Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus veſtris. *Ibid. v.* 14

Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol. *Eccli.* 27. 12

Sanctifica eos in veritate. *Joan.* 17. 17. Et pro eis ego ſanctifico meipſum: ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate. Ibid. v. 19

Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ --, ſperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam. 1. *Pet.* 1. 13

*Fructuoſe in nobis conſervatur.*

SAncti eritis, quia ego ſanctus ſum. *Levit.* 11. 45

Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum, Dominus Deus veſter. *Ibid.* 19. 2

Sanctificamini, & eſtote ſancti. *Ibid.* 20. 7

Eritis mihi ſancti, quia ſanctus ſum ego Dominus, & ſeparavi vos a ceteris populis, ut eſſetis mei (*ſc. ſancti.*) *Ibid. v.* 26

Et Dominus elegit te hodie, ut ſis ei populus peculiaris. *Deut.* 26. 18

Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. 1. *Theſs.* 4. 3

Sanctus, ſanctificetur adhuc. *Apoc.* 22. 11

*Sanctum Domini.*

SEptimus dies erit vobis Sanctus, Sabbatum, & requies Domini: qui fecerit opus in eo occidetur. *Exod.* 35. 2

*Declaratur, quando, & quomodo ſacerdos ingredi debet ſanctuarium, ipſumque expiare una cum tabernaculo, & altari. Levit.* 16

Facta eſt Judæa ſanctificatio ejus, Iſrael poteſtas ejus. *Pſal.* 113. 2

Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos. *Matt.* 7. 6

*Sancti in cælo ſunt & cum Deo regnant.*

D*Ixit Jeſus latroni*: Hodie mecum eris in paradiſo. *Luc.* 23. 43

Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur: & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus. *Joan.* 12. 26

Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum: ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi: quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi. *Ibid.* 17. 24

Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis, &c. 2. *Cor.* 5. 1

(Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore, & præſentes eſſe ad Dominum. *Ibid.* 5. 7

*Cupio* diſſolvi, *inquit Paulus*, & eſſe cum Chriſto. *Philip.* 1. 23

Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum patre meo in throno ejus. *Apoc.* 3. 21

Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti

ſtolis



ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum. *Apocalypſis* 7. 9

Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni. Ideo ſunt ante thronum Dei, & ſerviunt ei die ac nocte in templo ejus, &c. *Ibid. v.* 14

Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos. *Ibid.* 14. 13

*Sancti tamquam amici Dei, licite & recte coluntur cultu religioſo.*

A*Braham, Loth,* Joſue, *adorarunt proni in terram Angelos. Geneſ.* 18. 2. *Vide &* c. 19. 1. *&* Joſue 5. 15

*Abdias, potens aulicus, adoravit pronus Eliam Prophetam adhuc viventem, quia erat Propheta a Deo dilectus.* 3. Reg. 18. 7

*Sic ait Chriſtus*: Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus. *Joan.* 12. 26

Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus. *Pſ.* 138. 17

Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum, *inquit Deus.* 1. *Reg.* 2. 30

*Invocatio Sanctorum præcipitur.*

ITe ad ſervum meum Job --- Job autem ſervus meus orabit pro vobis: faciem ejus ſuſcipiam, &c. *Job.* 42. 8

Protegamque urbem hanc, & ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum. 4. *Reg.* 19. 34

*Sancti pro nobis orant.*

ET dixit Dominus ad me: Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum: ejice illos a facie mea, & egrediantur. *Jere.* 15. 1

Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael: hic eſt, qui multum orat pro populo, & univerſa ſancta civitate, Jeremias propheta Dei. 2. *Mach.* 15. 14

Et cum aperuiſſet librum, quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum. *Apoc.* 5. 8

Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare habens thuribulum aureum: & data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei. *Ibid.* 8. 3

*Propter eorum preces & merita, multa nobis largitur Deus, quamvis illi vita functi ſint.*

EGo ſum Deus Abraham patris tui (*dicit Dominus Iſaac*) noli timere, quia ego tecum ſum: benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum propter ſervum meum Abraham. *Gen.* 26. 24. *Vide & v.* 5

Recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael ſervorum tuorum, quibus juraſti per temetipſum, dicens: Multiplicabo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cæli: & univerſam terram hanc de qua locutus ſum, dabo ſemini veſtro, & poſſidebitis eam ſemper. Placatuſque eſt Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat adverſus populum ſuum. *Exod.* 32. 13

Verumtamen in diebus tuis (*Salomon*) non faciam propter David patrem tuum: de manu filii tui ſcindam illud, nec totum regnum auferam, ſed tribum unam dabo filio tuo, propter David ſervum meum, & Jeruſalem quam elegi. 3. *Reg.* 11. 12. Porro una tribus remanebit ei, propter ſervum meum David, & Jeruſalem civitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Iſrael. Ibid. v. 32

Sed propter David dedit ei Dominus Deus ſuus lucernam in Jeruſalem, ut ſuſcitaret filium ejus poſt eum, & ſtatueret Jeruſalem: eo quod feciſſet David rectum in oculis Domini, & non declinaſſet ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ ſuæ. *Ibid.* 15. 4

Protegamque urbem hanc, & ſalvabo eam (*ait Dominus Deus*) propter me, & propter David ſervum meum. 4. *Reg.* 19. 34. *Item* c. 20. 6. *Item idem verbatim habetur* Iſa. 37. 35

Et in Iſaac eodem modo fecit, propter Abraham patrem ejus. *Eccli.* 44. 24

*Sanctos oramus ſine injuria Mediatoris, ut pro nobis orent, ſicut & petimus ab aliis hominibus preces.*

DIxeruntque ad Samuelem: Ne ceſſes pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum, ut ſalvet nos de manu philiſthinorum. 1. *Reg.* 7. 8

Obſecro ergo vos fratres: per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per caritatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus qui ſunt in Judæa, & obſequii mei oblatio accepta fiat in Jeruſalem ſanctis. *Rom.* 15. 30

Orantes ſimul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis oſtium ſermonis, ad loquendum myſterium Chriſti, *Coloſs.* 4. 3. *Idem* Eph. 6. 19

Fratres, orate pro nobis. 1. *Theſs.* 5. 25

De cetero fratres orate pro nobis, ut ſermo Dei currat, & clarificetur, ſicut & apud vos. 2. *Theſs.* 3. 1

Orate pro nobis; confidimus enim, quia bonam conſcientiam habemus in omnibus, bene volentes converſari. *Hebr.* 13. 18

*Nec*

*Nec mirum Sanctos preces noſtras cognoſcere, quia ſunt ſicut Angeli Dei.*

IN reſurrectione enim, neque nubent, neque nubentur: ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo. *Matt.* 22. 30

Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. *Luc.* 15. 10

*Et offerunt Deo noſtras preces.*

QUando orabas cum lacrimis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. *Tob.* 12. 12

Et cum aperuiſſet librum, quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum. *Apoc.* 5. 8

Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum & data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei. *Ibid.* 8. 3

*Nec huic contrarium eſt, quod Deus ſolus eſt inſpector cordis, quia & homines cognoſcunt ſecreta cordium, Deo revelante.*

C*Ognovit Samuel ſecreta cordis Saulis.* 1. *Reg.* 9. 19

Tu Rex cogitare cœpiſti in ſtratu tuo, quid eſſet futurum poſt hæc: & qui revelat myſteria, oſtendit tibi, quæ ventura ſunt. *Dan.* 2. 29

At ille (*Eliſeus*) ait (*Giezi*) Nonne cor meum in præſenti erat, quando reverſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui? Nunc igitur accepiſti argentum, & accepiſti veſtes, ut emas oliveta, & vineas, oves, & boves, & ſervos, & ancillas. 4. *Reg.* 5. 26

Dixitque unus ſervorum ejus (*regis Syriæ*) Nequaquam Domine mi Rex, ſed Eliſeus propheta qui eſt in Iſrael, indicat regi Iſrael omnia verba quæcumque locutus fueris in conclavi tuo. *Ibid.* 6. 12

*Sanctorum miniſterio aliquando tribuitur quod ſoli Deo præcipue convenit.*
*Vide tit. Deo ſoli attributa.*

SI autem peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum; ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum. *Matt.* 18. 15. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo. Ib. v. 28

Dicunt ei illi (*duo Angeli*) Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum; & neſcio ubi poſuerunt eum. *Joan.* 20. 13

Si quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, & ſalvos faciam aliquos ex illis. *Rom.* 11. 14

Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterii. 1. *Tim.* 4. 14

Fratres mei, ſi quis ex vobis erraverit a veritate, & converterit quis eum: ſcire debet, quoniam, qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus a morte. *Jacob.* 5. 19

Et factus ſum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer. Iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem (cum ipſe non eſſem ſub Lege) ut eos qui ſub lege erant, lucrifacerem: iis qui ſine lege erant, tamquam ſine lege eſſem (cum ſine lege Dei non eſſem: ſed in lege eſſem Chriſti) ut lucrifacerem eos, qui ſine lege erant. 1. *Cor.* 9. 20

*In Sanctorum memoriam Deum orare, docent nos majorum exempla.*

DIxitque Jacob: Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Iſaac: Domine, qui dixiſti mihi: Revertere in terram tuam, & in locum nativitatis tuæ, & benefaciam tibi. *Gen.* 32. 9

Angelus, qui eruit me (*dicit Jacob benedicens filiis ſuis moriturus*) de cunctis malis, benedicat pueris iſtis: & invocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum, Abraham, & Iſaac, & creſcant in multitudinem ſuper terram. *Ibid.* 48. 16

Recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael, ſervorum tuorum, quibus juraſti per temetipſum, dicens: Multiplicabo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cæli: & univerſam terram hanc, de qua locutus ſum, dabo ſemini veſtro, & poſſidebitis eam ſemper. *Exod.* 32. 13

Recordare ſervorum tuorum Abraham, Iſaac, & Jacob: ne aſpicias duritiam populi hujus, & impietatem atque peccatum. *Deut.* 9. 27

Cumque jam tempus eſſet ut offerretur holocauſtum, accedens Elias propheta, ait: Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſrael, oſtende hodie quia tu es Deus Iſrael, & ego ſervus tuus, & juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. 3. *Reg.* 18. 36

Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſrael, patrum noſtrorum, cuſtodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & ſemper in venerationem tui mens iſta permaneat. 1. *Par.* 29. 18 2. Paral. 6. 42

*Eliphas Jobum amicum ſuum admonuit, dicens*: ad aliquem Sanctorum convertere. *Job.* 5. 1

Qua-



Quare errare nos feciſti Domine de viis tuis: induraſti cor noſtrum ne timeremus te? Convertere propter ſervos tuos, tribus hereditatis tuæ. *Iſa.* 63. 17

Et apprehendens (*Raguel*) dexteram filiæ ſuæ, dextræ Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob vobiſcum ſit, & ipſe conjungat vos, impleatque benedictionem ſuam in vobis. *Tob.* 7. 15. Eſther 13. 15. Cap. 14. 18

Ne quæſumus, tradas eos in perpetuum propter nomen tuum, & ne diſſipes teſtamentum tuum: neque auferas miſericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſervum tuum, & Iſrael ſanctum tuum: quibus locutus es: pollicens, quod multiplicares ſemen eorum ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam quæ eſt in litore maris. *Dan.* 3. 34

*Sancti vita defuncti, recte a nobis laudantur.*

LAudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia ſua a ſæculo. *Eccli.* 44. 1. Omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus, Ib. v. 7. Corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt, & nomen eorum vivit in generationem & generationem, &c. v. 14. Henoch placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam. Noe inventus eſt perfectus, juſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. Ibid. v. 16. Abraham magnus pater multitudinis gentium, & non eſt inventus ſimilis illi in gloria, qui conſervaret legem excelſi, &c. v. 20. Et in Iſaac eodem modo fecit propter Abraham patrem ejus. Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & teſtamentum confirmavit ſuper caput Jacob. Ib. v. 24

Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur: & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus. *Joan.* 12. 26

*In ſanctis ſuis Deus laudatur.*

LAudate Dominum in Sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus. *Pſal.* 150. 1

*Sancti judicabunt. Vide judicium.*
*Sancti faciunt miracula.*

M*Oyſes & Aaron ad Pharaonem loquuntur, virgam vertunt in ſerpentem, & aquam virga percuſſam in ſanguinem, quæ etiam faciunt Magi ſunt incantationibus, quam ob cauſſam Pharao magis induratur.* Exod. 7. 1. *Item* Cap. 8. 9. 10. & c. 11. *varias immittit Deus Ægyptiis plagas, &c.*

*Elias cælum triennio claudit, primumque paſcitur a corvis, deinde a muliere Sareptana, hujus hydria farina & lecythus olei non minuitur: filius autem ipſius oratione Eliæ reſuſcitatur.* 3. *Reg.* 17. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ: & reverſa eſt anima pueri intra eum & revixit. Ibidem v. 22

*Claudit cælum ne pluat. Ibid.* Elias, homo erat ſimilis nobis, paſſibilis; oratione oravit ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex. Jacob. 5. 27. Luc. 4. 25

*Aperit clauſum*: Et ait Elias ad Achab: Aſcende, comede & bibe: quia ſonus multæ pluviæ eſt, *Ibid.* 18. 41. Cumque ſe verteret huc atque illuc, ecce cæli contenebrati ſunt, & nubes, & ventus, & facta eſt pluvia grandis. & c. 45. Et rurſum oravit (*Elias*) & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum. Jacob. 5. 18

*Elias pallium dividit aquas*: Tulitque Elias pallium ſuum, & involvit illud, & percuſſit aquas, quæ diviſæ ſunt in utramque partem, & tranſierunt ambo (*ſcilicet Elias & Eliſeus individuus ejus comes*) per ſiccum. *Idem contingit poſt mortem Eliæ diſcipulo Eliſeo.* 4. *Reg.* 2. 8. *Ibid.* v. 14

*Eliſeus excitat puerum mortuum viduæ*: At ille reverſus (*Eliſeus*) deambulavit in domo, ſemel huc atque illuc: & aſcendit & incubuit ſuper eum: & oſcitavit per ſepties, aperuitque oculos. *Ibid.* 4. 35

*Sanat aquas miſſo in eas ſale*: Egreſſus (*Eliſeus*) ad fontem aquarum, miſit in illum ſal, & ait: Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has, & non erit ultra in eis mors, neque ſterilitas. Sanatæ ſunt ergo aquæ uſque in diem hanc, juxta verbum Eliſei quod locutus eſt. *Ibid.* 2. 21

*Oleum multiplicat Eliſeus viduæ paupercula: oleum impetrat quo ſolvat creditoribus, &c. Ibid.* 4

*Mittit farinam in ollam*: Afferte, inquit, farinam. Cumque tuliſſent, miſit in ollam, & ait: infunde turbæ, & comedant. Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla. *Ibid.* v. 41

*Naaman Syrum ſanat Eliſeus. Scidit Rex Iſrael veſtimenta ſua, quod juſſiſſet Rex Syriæ ut Naaman leproſum curaret, quem Eliſeus ſeptena in Jordane lotione mundat a lepra, quæ Giezi propter munera ſuſcepta, ab Eliſeo ſpreta perpetuo adhæſit. Ib.* 5

*Facit ferrum natare*: Dixit autem homo Dei: Ubi cecidit? At ille monſtravit ei locum. Præcidit ergo lignum, & miſit illuc; natavitque ferrum, & ait: Tolle. Qui extendit manum, & tulit illud. *Ibid.* 6. 6

*Eliſeus mortuus per contactum oſſium ſuorum operatur*: Quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulcrum Eliſei. Quod cum tetigiſſet oſſa Eliſei, revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. *Ib.* 13. 21

*Apoſto-*

*Apoſtoli ejiciunt dæmonia*: Et dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros & ſanabant. *Marc. 6.* 13. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis. *Ibid.* 16. 17

Reverſi ſunt autem ſeptuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo. *Luc.* 10. 17

*Joannes & Petrus ſanant claudum*: Petrus autem dixit: Argentum & aurum non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. *Actor.* 3. 6

*Etiam ſola umbra ſanat*: Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur (*omnes*) ab infirmitatibus ſuis. *Ibid.* 5. 14

*Petrus excitat Thabitam*: Dans autem illi manum, erexit eam (*Thabitam*) Et cum vocaſſet ſanctos, & viduas, aſſignavit eam vivam. *Ibid.* 9. 41

*Paulus reſtituit claudum*: Et quidam vir Lyſtris infirmus pedibus ſedebat, claudus ex utero matris ſuæ, qui numquam ambulaverat. Et audivit Paulum loquentem: Qui intuitus eum, & videns quia fidem haberet ut ſalvus fieret, dixit magna voce: Surge ſuper pedes tuos rectus. Et exilivit, & ambulabat. *Ibid.* 14. 7

*Etiam per ſudaria curat infirmos*: Virtuteſque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: Ita ut etiam ſuper languidos deferrentur a corpore ejus ſudaria & ſemicinctia: & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur. *Ibid.* 19. 11

*Reddit vita puerum ex lapſu mortuum*: Ad quem (*ſcilicet puerum mortuum*) cum deſcendiſſet Paulus incubuit ſuper eum, & complexus dixit: Nolite turbari, anima enim ipſius in ipſo eſt. *Actor.* 20. 10

*Sancti quoque plura fecere miracula, quæ longum eſſet numerare*. Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Jephte, David, Samuel, & Prophetis: qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum, &c. *Hebr.* 11. 32

## TITULUS VII.

### *Sanguis.*

#### *Sanguinis Conſperſio.*

TUlit itaque Moyſes dimidiam partem ſanguinis, & miſit in crateras: partem autem reſiduam fudit ſuper altare. *Exod.* 24. 6

Quem cum immolaveris, ſumes de ſanguine ejus, & pones ſuper extremum auriculæ dexteræ Aaron & filiorum ejus, & ſuper pollices manus eorum, ac pedis dextri, fundeſque ſanguinem ſuper altare per circuitum. *Ibid.* 29. 20. Levit. 1. v. 5. & 11. *idem habetur*. *Item* Cap. 3. 2. & 8. & 13. *idem verbatim.*

Cumque intinxerit digitum in ſanguine, aſperget eo ſepties coram Domino, contra velum ſanctuarii. *Levit.* 4. 6. Inferet ſacerdos, qui unctus eſt, de ſanguine ejus in tabernaculum teſtimonii. Ib. v. 16

Idcirco ubi immolabitur holocauſtum, mactabitur & victima pro delicto: ſanguis ejus per gyrum altaris fundetur. *Ibid.* 7. 2

Tollet quoque de ſanguine vituli, & aſperget digito ſepties contra propitiatorium ad orientem. *Ibid.* 16. 14. Cap. 8. 19. c. 9. 18

Funderque ſacerdos ſanguinem ſuper altare Domini ad oſtium tabernaculi teſtimonii, & adolebit adipem in odorem ſuavitatis Domino. *Ibid.* 17. 6

Steteruntque in ordine ſuo, juxta diſpoſitionem & legem Moyſi hominis Dei: Sacerdotes vero ſuſcipiebant effundendum ſanguinem de manibus Levitarum. 2. *Par.* 30. 16

Et aſſumens de ſanguine ejus, pones ſuper quatuor cornua ejus, & ſuper quatuor angulos crepidinis, & ſuper coronam in circuitu, & mundabis illud, & expiabis. *Ezech.* 43. 20

Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, &c. *Hebr.* 9. 13. Lecto enim omni mandato legis a Moyſe univerſo populo, accipiens ſanguinem vitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccinea, & hyſſopo, ipſum quoque librum, & omnem populum aſperſit, dicens: Hic ſanguis teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus. *Ibid.* v. 19

#### *Sanguinis Chriſti conſperſio.*

SI enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi. *Hebr.* 9. 13

Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti. *Ibid.* 10. 19

*Ad* teſtamenti novi mediatorem Jeſum (*ſcilicet acceſſiſtis*) & ſanguinis aſperſionem melius loquentem quam Abel. *Hebr.* 12. 24

Se-



Secundum præſcientiam Dei Patris, in ſanctificationem Spiritus, in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti. 1. *Petr.* 1. 2

#### *Sanguinis eſus prohibitus.*

EXcepto, quod carnem cum ſanguine non comedetis. *Geneſ.* 9. 4

Nec ſanguinem, nec adipem omnino comedetis. *Levit.* 3. 17

Sanguinem quoque omnis animalis non ſumetis in cibo, tam de avibus, quam de pecoribus. *Ibid.* 7. 26

Homo quilibet de domo Iſrael, & de advenis qui peregrinantur inter eos, ſi comederit ſanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius; diſperdam eam de populo ſuo. *Ibid.* 17. 10. Anima enim omnis carnis in ſanguine eſt: unde dixi filiis Iſrael: Sanguinem univerſæ carnis non comedetis, quia anima carnis in ſanguine eſt: & quicumque comederit illum, interibit. Ib. v. 14

Non comedetis cum ſanguine. *Ibid.* 19. 26

Sin autem comedere volueris, & te eſus carnium delectaverit — comedes, abſque eſu duntaxat ſanguinis, quem ſuper terram, quaſi aquam effundes. *Deut.* 12. 15

Hoc ſolum cave, ne ſanguinem comedas: ſanguis enim eorum pro anima eſt: & idcirco non debes animam comedere cum carnibus. *Ibid.* v. 23

Hoc ſolum obſervabis, ut ſanguinem eorum non comedas, ſed effundes in terram quaſi aquam. *Ibid.* 15. 23

Nuntiaverunt autem Sauli dicentes, quod populus peccaſſet Domino, comedens cum ſanguine. Qui ait: Prævaricati eſtis; volvite ad me jam nunc ſaxum grande. Et dixit Saul: Diſpergimini in vulgus, & dicite eis, ut adducat ad me unuſquiſque bovem ſuum, & arietem, & occidite ſuper iſtud, & veſcimini, & non peccabitis Domino, comedentes cum ſanguine. 1. *Reg.* 14. 33

Abſtineant ſe *converſi ex gentibus*, a ſanguine, &c. *Act.* 15. 20

De his autem qui crediderunt ex Gentibus, nos ſcripſimus, judicantes, ut abſtineant ſe ab idolis, immolato, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione. *Ibid.* 21. 25

#### *Sanguinis innocentis effuſio, clamat vindictam coram Deo. Vide & Homicidium.*

DIxitque ad eum (*Dominus ad Cain*): Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. *Gen.* 4. 10. Hebr. 12. 24

Jam non ſilebo de impietatibus eorum quæ religioſe agunt, nec ſuſtinebo in his, quæ inique exercent: ecce ſanguis innoxius & juſtus clamat ad me, & animæ juſtorum clamant perſeveranter. 4. *Eſdr.* 15. 8. Apoc. 6. 10

#### *Sanguinis innocentis effuſio.*

SI per odium quis hominem impulerit, vel jecerit quippiam in eum per inſidias: aut cum eſſet inimicus, manu percuſſerit, & ille mortuus fuerit: percuſſor homicidii reus erit. *Num.* 35. 20

Si quis autem odio habens proximum ſuum, inſidiatus fuerit vitæ ejus, ſurgenſque percuſſerit illum, & mortuus fuerit, fugeritque ad unam de ſupradictis urbibus, mittent ſeniores civitatis illius, & accipient eum de loco effugii, tradentque in manu proximi, cujus ſanguis effuſus eſt, & morietur. *Deut.* 19. 11.

Maledictus qui clam percuſſerit proximum ſuum: & dicet omnis populus, Amen. *Ibid.* 27. 24

Dixit itaque Joab ad Amaſam: Salve mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amaſæ, quaſi oſculans eum. Porro Amaſa non obſervavit gladium, quem habebat Joab, qui percuſſit eum in latere, &c. 2. *Reg.* 20. 9

At illi, ſcilicet ut viri diabolici, dixerunt contra eum (*Naboth ob negatam regi Achab vineam*) teſtimonium coram multitudine: benedixit Naboth Deum & regem: quam ob rem eduxerunt eum extra civitatem, & lapidibus interfecerunt. *Scilicet juſſu Jezabel accuſatus lapidatur*. 3. *Reg.* 21. 13

Inſuper & ſanguinem innoxium fudit Manaſſes multum nimis, donec impleret Jeruſalem uſque ad os. 4. *Reg.* 21. 10. *Idem* Cap. 24. 4. *verbatim.*

Manus effundentes innoxium ſanguinem, *odit Deus*. *Prov.* 6. 17

Et non eſt Joas rex recordatus miſericordiæ, quam fecerat Jojada pater illius ſecum, ſed interfecit filium ejus. Qui, cum moreretur, ait: Videat Dominus, & requirat, 2. *Par.* 24. 22

Hominem, qui calumniatur animæ ſanguinem, ſi uſque ad lacum fugerit, nemo ſuſtinet. *Prov.* 28. 17

Ecce enim Dominus egredietur de loco ſuo, ut viſitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum: & revelabit terra ſanguinem ſuum, & non operiet ultra interfectos ſuos. *Iſa.* 26. 21

Advenæ, & pupillo, & viduæ non feceritis calumniam, nec ſanguinem innocentem effuderitis in loco hoc. *Jerem.* 7. 6. *Idem repetitur* Cap. 22. 3

In ſanguine tuo, qui a te effuſus eſt, deliquiſti: & in idolis tuis quæ feciſti, polluta es: & appropinquare feciſti dies tuos, & adduxiſti tempus annorum tuorum: propterea dedi te opprobrium Gentibus, & irriſionem univerſis terris. *Ezech.* 22. 4

Ego

Ego miſi pueros meos prophetas ad vos, quos acceptos interfeciſtis, & laniaſtis corpora eorum, quorum ſanguinem exquiram, dicit Dominus. 4. *Eſdr.* 1. 31

Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis veſtris, & perſequemini de civitate in civitatem: ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, a ſanguine Abel juſti uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare. *Matt.* 23. 34. *Idem habetur verbatim* Luc. 11. 50. Apoc. 6. 10

Et in ea (*Babylone*) ſanguis prophetarum, & ſanctorum inventus eſt, & omnium qui interfecti ſunt in terra. *Apoc.* 28. 12

*Sanguine Chriſti empti ſumus.*

EMpti enim eſtis pretio magno. Glorificate, & portate Dum in corpore veſtro: 1. *Cor.* 6. 20

Pretio empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum. *Ibid.* 7. 23

Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere eccleſiam Dei, quam adquiſivit ſanguine ſuo. *Actor.* 20. 28

Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis — ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati. 1. *Petr.* 1. 18

Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula ejus: quoniam occiſus es, & redemiſti nos in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione. *Apoc.* 5. 9

## T I T U L U S VIII.

### *Sapientia.*

*Sapientia vera qua.*

ECce timor Domini, ipſa eſt ſapientia: & recedere a malo, intelligentia. *Job.* 28. 28

Quis ſapiens, & cuſtodit hæc? & intelliget miſericordias Domini? *Pſal.* 106. 43

Initium ſapientiæ timor Domini. *Ibid.* 110. 10. *Idem* Prov. 1. 7. *item* c. 9. 10. *item* Eccli. 1. 16

Cor ſapientis intelligitur in ſapientia, & auris bona audiet cum omni concupiſcentia ſapientiam. Sapiens cor abſtinebit ſe a peccatis, & in operibus juſtitiæ ſucceſſus habebit. *Eccli.* 3. 31

Qui cuſtodit legem, filius ſapiens eſt. *Prov.* 28. 7

Quæ autem deſurſum eſt Sapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta — plena miſericordia & fructibus bonis, &c. *Jacob.* 3. 17

*Sapientia divina origo, proprietas, laus, & utilitas.*

HÆc eſt enim veſtra ſapientia & intellectus coram populis, ut audientes univerſa præcepta hæc, dicant: En populus ſapiens & intelligens, gens magna. *Deut.* 4. 6

Cuſtodite ergo verba pacti hujus, & implete ea: ut intelligatis univerſa quæ facitis. *Ib.* 29. 9

Unde ergo ſapientia venit? & quis eſt locus intelligentiæ? Aſcondita eſt ab oculis omnium viventium, volucres quoque cæli latet. *Job.* 28. 20. Et dixit homini: Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia: & recedere a malo, intelligentia. v. 28

Sperabam enim quod ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret ſapientiam. *Ibid.* 32. 7

Utilior eſt ſapientia cum divitiis, & magis prodeſt videntibus ſolem. Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia: hoc autem plus habet eruditio & ſapientia, quod vitam tribuunt poſſeſſori ſuo. *Eccleſ.* 7. 12

Hanc quoque ſub ſole vidi ſapientiam, & probavi maximam: Civitas parva, & pauci in ea viri, venit contra eam Rex magnus, & vallavit eam, extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta eſt obſidio. Inventuſque eſt in ea vir pauper & ſapiens, & liberavit urbem per ſapientiam ſuam, & nullus deinceps recordatus eſt hominis illius pauperis: & dicebam ego, meliorem eſſe ſapientiam fortitudine. *Ibid.* 9. 13

Confuſi ſunt ſapientes, perterriti & capti ſunt: verbum enim Domini projecerunt, & ſapientia nulla eſt in eis. *Jerem.* 8. 9

Clara eſt, & quæ numquam marceſcit ſapientia, & facile videtur ab his qui diligunt eam. *Sap.* 6. 13. Cogitare ergo de illa, ſenſus eſt conſummatus: & qui vigilaverit propter illam, cito ſecurus erit. *Sap.* 6. 13

*Cum unus ſit omnibus introitus ad vitam, & ſimilis exitus, præ omnibus eligenda eſt ſapientia, adferens ſecum cuncta bona, habens ſpiritum intelligentiæ multiplicem, & quæ hic mirum in modum extollitur, quamque abunde auctor fuerat conſecutus. Ib. 7. per totum caput.*

*Cum ſapientiam comitentur omnia deſiderabilia, ſumme ambienda eſt, & a Deo petenda, a quo ſolo datur continentia. Ibid.* 8. Cap. 9. *per totum.*

*Commendatur ſapientia quod ſervaverit, & a malis liberaverit Adam, Noe, Abraham, Leth, Jacob, Joſeph, Moyſen, per quem filios Iſrael de Ægypto duxit per mare rubrum, demerſis in eo Ægyptis. Ibid.* 10

*Sapientia incomprehenſibilis, & in creaturis relucens, ab æterno, originem a ſolo Deo trahit, quam dat diligentibus ac timentibus ipſum. Nam timor Domini qui hoc capite multiplicanter commendatur, non ſolum ſapientiam, ſed & reliquas ſecum adfert virtutes; ſimplici autem corde ad Deum accedendum eſt. Eccli.* 1. Cap. 4. 12. 28

Om-



Omnis ſapientia a Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante ævum. *Eccli.* c. 1. v. 1. Initium ſapientiæ, timor Domini, &c. v. 16. cap. 24. *toto capite enumerantur ſapientiæ laudes.*

Sapientia filiis ſuis vitam inſpirat, &c. Et qui illam diligit, diligit vitam, &c. &c. &c. *Ibid.* 4. 12

Qui cuſtodit juſtitiam, continebit ſenſum ejus. Conſummatio timoris Dei, ſapientia & ſenſus. *Ibid.* 21. 12

Sapientia ejus (*viri ſapientis*) enarrabunt Gentes, & laudem ejus enuntiabit eccleſia. *Ib.* 39. 14

Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes adverſarii veſtri. *Luc.* 21. 15

O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. *Rom.* 11. 33

Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare: non in ſapientia verbi, ut non evacuetur crux Chriſti. 1. *Cor.* 1. 17

Sapientiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam vero non hujus ſæculi, neque principum hujus ſæculi, qui deſtruuntur: ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt. *Ibid.* 2. 6. Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. v. 20

Sapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum. Sriptum eſt enim: Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum. *Ibid.* 3. 19. Jac. 1. 5. c. 3. 13

In quo (*Chriſto*) ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. *Coloſſ.* 2. 3

Si quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei. *Jac.* 1. 5

*Sapientia vera a Deo adquiritur.*

ET qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius. *Deut.* 33. 3

Quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti tibi dies (*ait Dominus Salomoni*) multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum: ſed poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum judicium: ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, &c. 3. *Reg.* 3. 11. c. 4. 29

Sapientia vero ubi invenitur? & quis eſt locus intelligentiæ? Neſcit homo pretium ejus, nec invenitur in terra ſuaviter viventium. *Job* 28. 11

Trahitur autem ſapientia de occultis. *Ibid.* v. 18

Quoniam non cognovi litteraturam — Deus docuiſti me a juventute mea. *Pſal.* 70. 16

Super inimicos meos prudentem me feciſti. *Ibid.* 118. 98

Timor Domini, principium ſapientiæ. *Prov.* 1. 7

Fili mi: ſi ſuſceperis ſermones meos, & mandata mea abſconderis penes te, ut audiat ſapientiam auris tua: inclina cor tuum ad cognoſcendam prudentiam. Si enim ſapientiam invocaveris, & inclinaveris cor tuum prudentiæ: ſi quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam: tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei invenies: quia Dominus dat ſapientiam: & ex ore ejus prudentia, & ſcientia. *Ibid.* 2. 1

Principium ſapientiæ, timor Domini. *Ibid.* 9. 10

Si retuſum fuerit ferrum, & hoc non ut prius, ſed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & poſt induſtriam ſequetur ſapientia. *Eccleſ.* 10. 10

Quoniam in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. *Sap.* 1. 4

Clara eſt, & quæ numquam marceſcit ſapientia, & facile videtur ab his, qui diligunt eam, & invenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat. *Ibid.* 6. 15

Propter hoc optavi, & datus eſt mihi ſenſus: & invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ. *Ibid.* 7. 7

Et cum ſit una, omnia poteſt: & in ſe permanens, omnia innovat: & per nationes in animas ſanctas ſe transfert. *Ibid.* v. 27

Omnis ſapientia a Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante ævum. *Eccli.* 1. 1

Et effundit illam ſuper omnia opera ſua, & ſuper omnem carnem ſecundum datum ſuum, & præbuit illam diligentibus ſe. *Ibid.* v. 10

Fili, concupiſcens ſapientiam, conſerva juſtitiam, & Deus præbebit illam tibi. *Ib.* v. 33

Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam: & ſi dilexeris audire, ſapiens eris. *Ib.* 6. 34

Non erudietur, qui non eſt ſapiens in bono. *Ibid.* 21. 14

Sapientia Scribæ in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, ſapientiam percipiet: qua ſapientia replebitur. *Ibid.* 38. 25

Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conſervabit, & in verſutias parabolarum ſimul introibit. *Ibid.* 37. 1

Omnia autem Dominus fecit, & pie agentibus dedit ſapientiam. *Ibid.* 43. 37

Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, &c. *Iſa.* 48. 17



Quis

Quis aſcendit in cælum, & accepit eam, & eduxit eam de nubibus? Quis transfretavit mare, & invenit illam? --- Non eſt qui poſſit ſcire vias ejus, &c. *Baruch* 3.29

Sit nomen Domini benedictum a ſæculo uſque in ſæculum: quia ſapientia & fortitudo ejus ſunt. *Dan.* 2.20

Ipſe revelat profunda, & abſcondita, & novit in tenebris conſtituta: & lux cum eo eſt. *Ibid.* v.22

Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. *Matth.* 11.25

Si quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo --- & dabitur ei. *Jac.* 1.5

*A ſtulto deſpicitur.*

SApientiam atque doctrinam ſtulti deſpiciunt. *Prov.* 1.7.

Sapientiam enim & diſciplinam qui abjicit, infelix eſt, &c. *Sap.* 3.11

Quam aſpera nimium ſapientia indoctis hominibus, & non permanebit in illa excors. *Eccli.* 6.21

Non eſt enim populus ſapiens, propterea non miſerebitur ejus, qui fecit eum, &c. *Iſa.* 27.11

Et populus non intelligens, vapulabit. *Oſee* 4.14

*A bono exquiritur, quia ordinatur ad Deum.*

HÆc eſt enim veſtra ſapientia, & intellectus coram populis, ut audientes univerſa præcepta hæc, dicant: En populus ſapiens & intelligens, gens magna. *Deut.* 4.6

Et dixit homini: Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia: & recedere a malo, intelligentia. *Job* 28.28

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. *Prov.* 3.5

Sapiens timet, & declinat a malo. *Ibid.* 14.16

Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: aſſidentem enim illam foribus ſuis inveniet. *Sap.* 6.15

Neminem enim diligit Deus, niſi eum qui cum ſapientia inhabitat. Eſt enim hæc ſpecioſior ſole. *Ibid.* 7.28

Initium ſapientiæ, timor Domini. *Eccli.* 1.16. Idem Pſal. 110.10

Radix ſapientiæ *eſt, timere Deum, & rami illius longævi. Ibid.* v.6

Sapientia enim & diſciplina, timor Domini. *Ibid.* v.34

Beatus vir, qui in ſapientia morabitur. *Ibid.* 14.22

Et non eſt ſapientia nequitiæ diſciplina: & non eſt cogitatus peccatorum prudentia. *Ib.* 19.19

Conſummatio timoris Dei, ſapientia & ſenſus. *Ibid.* 21.13

Sapiens non odit mandata & juſtitias. *Ibid.* 33.2

Cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur --- Si enim Dominum magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit illum --- & in oratione confitebitur Domino. *Ibid.* 39.6

Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis: non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. *Epheſ.* 5.15

Eſtote itaque prudentes, & vigilate in orationibus. 1. *Petr.* 4.7

*Erga ſeipſum.*

NE ſis ſapiens apud temetipſum. *Prov.* 3.7

Sapientia callidi, eſt intelligere viam ſuam: & imprudentia ſtultorum errans. *Ib.* 14.8

In facie prudentis lucet ſapientia. *Ibid.* 17.24

Scientia ſapientis tamquam inundatio abundabit. *Eccli.* 21.16

Dico enim per gratiam, quæ data eſt mihi, &c. Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. *Rom.* 12.3

Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos. *Ibid.* v.16

Volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo. *Ibid.* 16.19

Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens. 1. *Cor.* 3.18

*Ad proximum Verbo.*

STude ſapientiæ, fili mi; & lætifica cor meum, ut poſſis exprobranti reſpondere ſermonem. *Prov.* 27.11

Tempus & reſponſionem cor ſapientis intelligit. *Eccleſ.* 8.5

Verba oris ſapientis, gratia. *Ibid.* 10.12

In lingua enim ſapientia dignoſcitur: & ſenſus, & ſcientia & doctrina in verbo ſenſati. *Eccli.* 4.29

Sapiens in verbis ſeipſum amabilem facit. *Ibid.* 20.13

Sapiens in verbis producet ſeipſum, & homo prudens placebit magnatis. *Ibid.* v.29

Sapientia abſcondita, & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque? Melior eſt qui celat inſipientiam ſuam, quam homo qui abſcondit ſapientiam ſuam. *Ibid.* v.32

Os prudentis quæritur in eccleſia, & verba illius cogitabunt in cordibus ſuis. *Eccli.* 21.20

Vir ſapiens implebitur benedictionibus, & videntes illum, laudabunt. *Ibid.* 37.27

Quod in omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia. 1. *Cor.* 1.5.





*Opere.*

SApiens corde præcepta ſuſcipiet. *Prov.* 10.8

Via ſtulti recta in oculis ejus, qui autem ſapiens eſt, audit conſilia. *Ibid.* 12.15

Sapientia hominis lucet in vultu ejus. *Eccli.* 8.1

Homo ſapiens in omnibus metuit, & in diebus delictorum attendet ab inertia. Omnis aſtutus agnoſcit ſapientiam, & invenienti eam dabit confeſſionem. *Ibid.* 18.27

Diſciplinam in pace conſervate filii. *Ibid.* 41.17

Quis ſapiens, & indiſciplinatus inter vos? oſtendat ex bona converſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ. *Jac.* 3.13

*Decorat in bonis.*

BEatus homo, qui invenit ſapientiam, & qui affluit prudentia: melior eſt adquiſitio ejus negotiatione argenti & auri; primi & puriſſimi fructus ejus: pretioſior eſt cunctis opibus: & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari. *Prov.* 3.13

Si ſapiens fueris, tibimetipſi eris. *Ibid.* 9.12

Hoc autem plus habet eruditio & ſapientia, quod vitam tribuunt poſſeſſori ſuo. *Eccleſ.* 7.13

Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile eſt lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius. *Sap.* 7.13

Mitte illam de cælis ſanctis tuis, & a ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit & mecum laboret, ut ſciam quid acceptum ſit apud te: Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobrie, & cuſtodiet me in ſua potentia. *Ibid.* 9.10

Ornamentum aureum prudenti doctrina, & quaſi brachiale in brachio dextro. *Eccli.* 21.24.

Eſt ſapiens, animæ ſuæ ſapiens: & fructus ſenſus illius laudabilis. *Ibid.* 37.25

Sapiens in populo hereditabit honorem, & nomen illius erit vivens in æternum. *Ib.* v.29.

*In bonis natura.*

QUi autem me audierit, abſque terrore requieſcet, & abundantia perfruetur, timore malorum ſublato. *Prov.* 1.33

Si intraverit ſapientia cor tuum, & ſcientia animæ tuæ placuerit: conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſervabit te, ut eruaris a via mala, & ab homine qui perverſa loquitur. *Ibid.* 2.10

Gloriam ſapientes poſſidebunt. *Ibid.* 3.35

Melior eſt enim ſapientia cunctis (*opibus*) pretioſiſſimis: & omne deſiderabile ei non poteſt comparari. *Ibid.* 8.11

Vir ſapiens, fortis eſt: & vir doctus, robuſtus & validus. *Ibid.* 24.5

Utilior eſt ſapientia cum divitiis, & magis prodeſt videntibus ſolem. *Eccleſ.* 7.12

Sapientia confortavit ſapientem ſuper decem principes civitatis. *Ibid.* v.20

Et ſi divitiæ appetuntur in vita, quid ſapientia locupletius, quæ operatur omnia? *Sap.* 8.5

Habeo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores juvenis. *Ibid.* v.10

*Sapientia mundi hujus vana, & ſtultitia mera, ideoque fugienda.*

DEus, qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilium pravorum diſſipat. *Job* 5.13

Ne ſis ſapiens apud temetipſum: time Deum, & recede a malo. *Prov.* 3.7

Ego ſum Dominus --- irrita faciens ſigna divinorum, & ariolos in furorem vertens: convertens ſapientes retrorſum: & ſcientiam eorum ſtultam faciens. *Iſa.* 44.25

Quia ſtultus populus meus me non cognovit: filii inſipientes ſunt, & vecordes: ſapientes ſunt ut faciant mala: bene autem facere neſcierunt. *Jer.* 4.22

*Fratres*, non ſitis vobis ipſis ſapientes, *ſed Deo*. *Rom.* 11.25

Non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei. *Ibid.* 12.3

Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes, &c. *Ibid.* v.16

Et ſermo meus, (*inquit Paulus*), & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis: ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam vero non hujus ſæculi, neque principatus hujus ſæculi, qui deſtruuntur, &c. 1. *Cor.* 2.4

Sapientia enim hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum. *Ibid.* 3.19

In ſimplicitate cordis, (*inquit Paulus*), & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei, converſati ſumus in hoc mundo: abundantius autem ad vos. 2. *Cor.* 1.12

Non eſt enim iſta ſapientia (*ſc. mundi*) deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica. *Jac.* 3.15. *Vide ibidem egregie differentiam inter ſapientiam terrenam & cæleſtem.*

*Sapientia mala ſive mundana, Deum provocat.*

MElior eſt homo, qui minuitur ſapientia, & deficiens ſenſu in timore (*Dei*) quam qui abundat ſenſu, & tranſgreditur legem Altiſſimi. *Eccli.* 19.20

Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes. *Iſa.* 5.21

Claudet oculos veſtros, prophetas, & principes veſtros, qui vident viſiones, operiet. *Iſa.* c. 29. v. 10. & 14

Qui dat ſecretorum ſcrutatores quaſi non ſint. *Ibid.* 40. 23

Et fiduciam habuiſti in malitia tua, & dixiſti: Non eſt qui videat me: Sapientia tua & ſcientia tua hæc decepit te. *Ibid.* 47. 10

Quomodo dicitis: Sapientes nos ſumus, & lex Domini nobiſcum eſt? *Jer.* 8. 8. cap. 49. 7. Ezech. 28. 4

Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes. *Rom.* 12. 16

Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo — Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. 1. *Cor.* 1. 19

*Peccatum multiplicat.*

ET non eſt ſapientia nequitiæ diſciplina: & non eſt cogitatus (*bonus*) peccatorum prudentia. Eſt nequitia, & in ipſa execratio: & eſt inſipiens, qui minuitur ſapientia — Eſt ſolertia certa, & ipſa iniqua. *Eccli.* 19. 19

Sapientes ſunt, ut faciant mala: bene autem facere neſcierunt. *Jer.* 4. 22

Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. *Rom.* 1. 22

Nam prudentia carnis mors eſt: prudentia autem ſpiritus, vita & pax. Quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjecta: nec enim poteſt. *Ibid.* 8. 6

Scientia inflat, caritas vero ædificat. Si quis autem ſe exiſtimat ſe ſcire aliquid, nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum ſcire. 1. *Cor.* 8. 1

*Proximum moleſtat.*

S*Ic Achitophel conſilia contra David dedit Abſaloni: cum dicit*: Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimiſit ad cuſtodiendam domum: ut cum audierit omnis Iſrael, quod fœdaveris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum. 2. *Reg.* 16. 21

Filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt. *Luc.* 16. 8

Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris: nolite gloriari, & mendaces eſſe adverſus veritatem. *Jac.* 3. 14

*Ipſum hominem infamat.*

VIdiſti hominem ſapientem ſibi videri? magis illo ſpem habebit inſipiens. *Prov.* 26. 12

*Sapiens pauper ſcrutabitur divitem. Ibid.* 28. 11

Non erudietur, qui non eſt ſapiens in bono. Eſt autem inſipientia quæ abundat in malo. *Eccli.* 21. 14

Stultus factus eſt omnis homo a ſcientia. *Jer.* 51. 17

Sapientia enim hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum. 1. *Cor.* 3. 19

*Satisfactio. Vide Pœnitentia.*

## TITULUS IX.

*Scandalum. Vide & malum exemplum.*

*Scandalum ſeu offendiculum proximo, nec in vita, nec in doctrina ponendum.*

H*Eva gravius punitur a Deo, quam Adam, quia ipſa induxit Adam ad peccandum. Gen.* 3. 10. *Vide & v.* 6

Si Sacerdos, qui unctus eſt peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato ſuo vitulum immaculatum Domino. *Lev.* 4. 3. Num. 31. 15

*Imperat Deus Iſraelitis, ut Amalecitas delerent de terra, quia illos voluerunt impedire ab ingreſſu terræ promiſſæ. Deut.* 25. 17. *Confer Exod.* 17. 8

Et erat ergo peccatum puerorum (*filiorum*) Heli grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines a ſacrificio Domini; *hinc tam graviter poſtea a Deo punitur.* 1. *Reg.* 2. 17

Veruntamen, quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi, morte morietur, *inquit Deus ad regem David.* 2. *Reg.* 12. 14

*Jeroboam, qui erexit idola, peccare fecit Iſrael, hinc de illo dicitur: quod* operatus *ſit* mala, ſuper omnes, qui fuerunt ante *eum: & horribiles pœnæ per Ahiam Prophetam a Deo illi denuntiantur.* 3. *Reg.* 14. 9. *Confer* c. 12. 28

Qui decepit juſtos in via mala, in interitu ſuo corruet: & ſimplices poſſidebunt bona ejus. *Prov.* 28. 10

*Eleazarus noluit ſimulare, quod comederet carnem prohibitam;* Non enim ætati noſtræ dignum eſt, inquit, fingere, ut multi adoleſcentium arbitrantes, Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum: & ipſi propter meam ſimulationem, &c. decipiantur. 2. *Mach.* 6. 24

*Petrus, cum prohibere voluit Chriſtum a paſſione ſua & morte, audivit a Chriſto*: Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi. *Matth.* 16. 23

Ut autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piſcem qui

primus



primus aſcenderit, tolle, & aperto ore, invenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me & te. *Matth.* 17. 26

Qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. *Ibid.* 18. 6

Et quiſquis ſcandalizaverit unum ex his puſillis credentibus in me: bonum eſt ei magis ſi circumdaretur mola aſinaria in collo ejus, & in mare mitteretur. *Marc.* 9. 41

Impoſſibile eſt ut non veniant ſcandala: væ autem illi per quem veniunt, &c. *Luc.* 17. 1. Joan. 16. 1

Infirmum autem in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum, &c. *Rom.* 14. 1. Non ergo amplius invicem judicemus: ſed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum. v. 13. Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur: jam non ſecundum caritatem ambulas. v. 15

*Paulus ait: quod quamquam idolothytis veſci non ſit ex ſe illicitum, quum idolum nullius ſit efficacia aut poteſtatis, non ſunt tamen illa edenda aut repugnante conſcientia, aut cum infirmorum offendiculo, neque ea edere aut non edere, hominem efficit meliorem.* 1. *Cor.* 8. *per totum.*

*Paulus de ſe teſtatur:* Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem. *Ibid. v.* 13

Sine offenſione eſtote Judæis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei. *Ibid.* 10. 32

Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum. 2. *Cor.* 6. 3

Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. 1. *Theſſ.* 5. 22

*Quidquid nos ſcandalizat vitemus.*

CAve, ne umquam cum habitatoribus terræ illius (*gentilium*) jungas amicitias, quæ ſint in ruinam. *Exod.* 34. 12

*Nulla cum gentibus ſocietas contrahenda. Deut.* 7. Percuties eas uſque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum. v. 2. Non parcet eis oculus tuus, nec ſervies diis eorum, ne ſint in ruinam tui. v. 16

*Pſeudopropheta a Deo avertens, occidi debet, quantumvis propinquus ſit vel amicus, immo & urbs vaſtari debet funditus cujus habitatores id facere conati fuerint. Ibid.* 13

*Mathathia videns Judæum publice immolantem idolis*, inſiliens trucidavit eum ſuper aram, *ut hoc ſcandalum tolleret.* 1. *Mach.* 2. 23

Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. *Matth.* 5. 29. Et ſi dextra manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum, &c. v. 30. Idem vide c. 18. 9

Et quiſquis ſcandalizaverit unum ex his puſillis credentibus in me: bonum eſt ei magis ſi circumdaretur mola aſinaria in collo ejus, & in mare mitteretur. *Marc.* 9. 41. Et ſi ſcandalizaverit te manus tua, abſcinde illam: bonum eſt tibi debilem introire in vitam, &c. v. 4

Rogo autem vos fratres, ut obſervetis eos qui diſſenſiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didiciſtis, faciunt; & declinate ab illis. *Rom.* 16. 17

*Scandali Phariſaici, ſive accepti exempla.*

ET ecce offerebant ei (*Chriſto*) paralyticum, jacentem in lecto. Et videns Jeſum fidem illorum, dixit Paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de ſcribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat. *Matth.* 9. 2

Et factum eſt, diſcumbente eo (*Jeſu*) in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes, diſcumbebant cum Jeſu & diſcipulis. Et videntes Phariſæi, dicebant diſcipulis ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magiſter veſter? *Ibid.* v. 20. Luc. 15. 2

*Nazaræi* ſcandalizabantur in eo (*Jeſu*), *quod eſſet fabri filius, &c. Ib.* 13. 57. Idem Marc. 6. 3

Tunc accedentes diſcipuli ejus, dixerunt ei (*Jeſu*): Scis, quia Phariſæi audito verbo hoc, ſcandalizati ſunt? &c. *Ibid.* 15. 12

Et beatus eſt, (*inquit Jeſu*) quicumque non fuerit ſcandalizatus in me. *Luc.* 7. 23

*Scandalizati Judæi in Jeſu, quia dicebat carnem ſuam eſſe cibum & ſanguinem ſuum potum, &c. Joan.* 6. 62

*Vide ibidem ſcandali Phariſaici egregium exemplum. Joann.* 7. 42. *item* c. 8. 44. Actor. 4. 2. *&c.* c. 11. 2. *&c.* c. 13. 45. c. 28. 29

## TITULUS X.

*Scortatio.*

*Scortationis mala. Vide Fornicatio.*

*Scortationis damnatio & pœna.*

NOn erit meretrix de filiabus Iſrael, nec ſcortator de filiis Iſrael, &c. *Deut.* 23. 17. Vide & Exod. 20. 14. Marc. 5. 27. Jac. 2. 11

Pedes ejus (*meretricis*) deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus illius penetrant. *Prov.* 5. 5. *Vide tot. Vide idem* c. 6. 24. *&* c. 7. 6. *& per totum* c. 31

Sed ſcribere ad eos, ut abſtineant ſe a --- & fornicatione. *Actor.* 15. 20. Rom. 1. 29.

Sicut in die honeſte ambulemus; non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, &c. *Rom.* 13. 13

Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit --- Fugite fornicationem, &c. 1. *Cor.* 6. 15. Epheſ. 5. 3

Neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt una die vigintitria millia. *Ibid.* 10. 8. 2. Cor. 12. 21

Manifeſta ſunt autem opera carnis: quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. *Gal.* 5. 19. Coloſſ. 3. 5

Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: ut abſtineatis vos a fornicatione: ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore; non in paſſione deſiderii, ſicut & Gentes, quæ ignorant Deum. 1. *Theſſ.* 4. 3

Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim, & adulteros judicabit Deus. *Hebr.* 13. 4

*Fornicatorum pars* erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure. *Apoc.* 21. 8

*Si in puella nupta non invenitur virginitas*, Ejicient eam extra fores domus patris ſui, & lapidibus obruent --- quoniam fecit nefas in Iſrael, ut fornicaretur in domo patris ſui. *Deut.* 22. 21. Jer. 29. 23. Ezech. 22. 11. 1. Cor. 5. 9

Neque fornicarii, &c. regnum Dei poſſidebunt. 1. *Cor.* 6. 9. c. 10. 8

Hoc autem ſcitote: quod omnis Fornicator, non habet hereditatem in regno Chriſti & Dei. *Epheſ.* 5. 5

*Scortationis punita exempla.*

Variis locis. *Sodomitæ* Gen. 19. 24. *Sichimitæ* c. 34. 25. *Iſraelitæ* Num. 25. 1. *Iſraelita quidam ibid.* v. 6. *Benjamitæ* Judic. 20. 44. *Filii Heli, Ophni & Phinees* 1. Reg. 2. 22. & c. 4. 17. Jer. 5. 7

## TITULUS XI.

### *Scriptura ſacra.*

*Scriptura ſacra unde ſit, & quis ejus uſus.*

DIxit autem Dominus ad Moyſen: Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Joſue. *Exod.* 17. 14

Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Iſrael pepigi fœdus. *Ibid.* 34. 27

Et nunc Iſrael audi præcepta & judicia, quæ ego doceo te: ut faciens ea, vivas, & ingrediens poſſideas terram, quam Dominus Deus patrum veſtrorum daturus eſt vobis. *Deut.* 4. 1

Accipiens exemplar (*legis in exemplar*) a ſacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & cæremonias ejus, quæ in lege præcepta ſunt. *Ibid.* 17. 18

Scripſit itaque Moyſes legem hanc, & tradidit eam ſacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, & cunctis ſenioribus Iſrael. *Ibid.* 31. 9

Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut cuſtodias & facias omnia quæ ſcripta ſunt in eo: tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. *Joſue* 1. 8

Nunc ergo ingreſſus ſcribe ei ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit in die noviſſimo in teſtimonium uſque in æternum. *Iſa.* 30. 8

Requirite diligenter in libro Domini, & legite: unum ex eis non defuit, alter alterum non quæſivit: quia quod ex ore meo procedit, ille mandavit, & ſpiritus ejus ipſe congregavit ea. *Ibid.* 34. 16

Tolle volumen libri, & ſcribes in eo omnia verba, quæ locutus ſum tibi adverſum Iſrael & Judam, & adverſum omnes gentes, a die qua locutus ſum ad te, ex diebus Joſiæ uſque ad diem hanc. *Jer.* 36. 2. Legitque Baruch in volumine ſermonis Jeremiæ in domo Domini, in Gazophylacio Gamariæ filii Saphan ſcribæ, in veſtibulo ſuperiori, in introitu portæ novæ domus Domini, audiente omni populo. v. 10

Verbum, quod locutus eſt Jeremias propheta ad Baruch filium Neriæ, cum ſcripſiſſet verba hæc in libro ex ore Jeremiæ, anno quarto Joakim filii Joſiæ regis Juda, &c. *Ibid.* 45. 1

Et legit Baruch verba libri hujus ad aures Jechoniæ filii Joakim regis Juda, ad aures univerſi populi venientis ad librum. *Baruch* 1. 3. Et legite librum iſtum, quem miſimus ad vos recitari in templo Domini, in die ſollemni, & in die opportuno. v. 14

Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ eſt in æternum: omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam: qui autem dereliquerunt eam, in mortem, &c. *Ibid.* 4. 1

Attulit ergo Eſdras ſacerdos legem coram multitudine virorum ac mulierum, cunctiſque qui poterant intelligere, in die prima menſis ſeptimi. Et legit in eo aperte in platea quæ erat ante portam aquarum, de mane uſque ad mediam diem, in conſpectu virorum ac mulierum, & ſapientium: & aures omnis populi erant erectæ ad librum. 2. *Eſdr.* 8. 2

Et dixerunt Eſdræ pontifici, & lectori, ut afferret legem Moyſi, quæ tradita eſt a Domino Deo Iſrael. 3. *Eſdr.* 9. 30





Ecce loquere in aures plebis meæ ſermones prophetiæ, quos immiſero in os tuum, dicit Dominus. Et fac ut in charta ſcribantur, quoniam fideles & veri ſunt. 4. *Eſdr.* 15. 1

Veruntamen annuntiabo tibi quod expreſſum eſt in ſcriptura veritatis: & nemo eſt adjutor meus in omnibus his, niſi Michael princeps veſter. *Dan.* 10. 21

Nos --- habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris. 1. *Mach.* 12. 9

Scriptum eſt: Non in ſolo pane vivit homo; ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. *Matth.* 4. 4. Luc. 4. 4. Deut. 8. 3

Erratis (*ait Chriſtus Sadducæis ſuper reſurrectione*) neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei. *Ibid.* 22. 29

Habent Moyſen, & Prophetas; audiant illos. *Luc.* 16. 29

Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me: (*ait Chriſtus Judæis.*) *Joan.* 5. 39

Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. *Ibid.* 20. 30. Rom. 1. 2. Joan. 21. 25

Moyſes enim a temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus qui eum prædicent in ſynagogis, ubi per omne Sabbatum legitur. *Actor.* 15. 21

Hi autem erant nobiliores eorum, qui ſunt Theſſalonicæ, qui ſuſceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie ſcrutantes Scripturas, &c. *Ibid.* 17. 11

Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: ut per patientiam & conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus. *Rom.* 15. 4. c. 4. 23. 1. Cor. 9. 9. c. 10. 1.

Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi: quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, ſecundum Scripturas, &c. 1. *Cor.* 15. 3

Aſſumite & gladium ſpiritus, (quod eſt verbum Dei.) *Epheſ.* 6. 17

Sollicite cura te ipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, recte tractantem verbum veritatis. 2. *Tim.* 2. 15

Tu vero permane in his quæ didiciſti, & credita ſunt tibi: ſciens a quo didiceris. Et quia ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. *Ibid.* 3. 14

Omnis ſcriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia: ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. *Ibid.* v. 16

Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines. 2. *Pet.* 1. 20. Apoc. 1. 19

*Ad bonum adhortatur.*

IN corde meo abſcondi eloquia tua: ut non peccem tibi. *Pſal.* 118. 11

Memor eſto verbi tui ſervo tuo --- Hæc me conſolata eſt. *Ibid.* v. 49

Quia mandatum lucerna eſt, & lex lux: & via vitæ, increpatio diſciplinæ. *Prov.* 6. 23

Cum prophetia defecerit, diſſipabitur populus. *Ibid.* 29. 18

Reſpicite quoniam non mihi ſoli laboravi, ſed omnibus exquirentibus diſciplinam. *Eccli.* 33. 18

Tolle volumen libri, & ſcribes in eo omnia verba, quæ locutus ſum tibi adverſum Iſrael & Judam, & adverſum omnes gentes. *Jer.* 36. 2

Væ vobis Legiſperitis, quia tuliſtis clavem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos quos introibant, prohibuiſtis. *Luc.* 11. 52

Si Moyſen & prophetas non audiunt; neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent. *Ib.* 16. 31

Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit. Si autem illius litteris non creditis: quomodo verbis meis credetis? *Joan.* 5. 46

Hæc autem omnia in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram. 1. *Cor.* 10. 11

Omnis Scriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, &c. 2. *Tim.* 3. 16

Qui ſuſceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent. *Actor.* 17. 11

Vehementer enim Judæos revincebat publice, oſtendens per Scripturas, eſſe Chriſtum Jeſum. *Ibid.* 18. 28

Et habemus firmiorem propheticum ſermonem: cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris. 2. *Pet.* 1. 19

Hanc ecce vobis, cariſſimi, ſecundam ſcribo epiſtolam, in quibus veſtram excito in commonitione ſinceram mentem: ut memores ſitis eorum, quæ prædixi, verborum a ſanctis Prophetis, & Apoſtolorum veſtrorum, præceptorum Domini & Salvatoris *Ibid.* 3. 1

*Virtuoſis manifeſtatur.*

BOnitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me. *Pſal.* 118. 66

Qui quærit legem, replebitur ab ea: & qui inſidioſe agit, ſcandalizabitur in ea. *Eccli.* 32. 19

Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum: illis autem non eſt datum. *Matt.* 13. 11

Beatus es Simon Bar-Jona; quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt. *Matth.* 16. 17

Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, ceteris autem in parabolis: ut videntes non videant, & audientes non intelligant. *Luc.* 8. 10

O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt prophetæ! --- Et incipiens a Moyſe, & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant. *Ibid.* 24. 25

Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas. *Ibid.* v. 45

Scrutamini Scripturas. *Joan.* 5. 37

Si quis voluerit voluntatem ejus facere: cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit. *Ib.* 7. 17

*Vitioſis obvelatur.*

TU autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum, uſque ad tempus ſtatutum: plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia. *Dan.* 12. 4

Vade Daniel, quia clauſi ſunt, ſignatique ſermones, uſque ad præfinitum tempus — & impie agent impii; neque intelligent omnes impii; porro docti intelligent. *Ibid.* v. 9

Et rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis, -- Spiritum veritatis, &c. *Jo:* 14. 16

Scimus enim, quia lex ſpiritualis eſt. *Rom.* 7. 14

Nos autem non Spiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis: quæ & loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritus, ſpiritualia ſpiritualibus comparantes. 1. *Cor.* 2. 12

Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei --- Spiritualis autem indicat omnia: & ipſe a nemine judicatur --- Nos autem ſenſum Chriſti habemus. *Ibid.* v. 14

Littera enim occidit. Spiritus autem vivificat. 2. *Cor.* 3. 6

Quod ſi etiam opertum eſt Evangelium noſtrum; in iis qui pereunt eſt opertum: in quibus Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei. *Ibid.* 4. 3

In captivitatem redigentes omnem intellectum, in obſequium Chriſti. *Ibid.* 10. 5

Stultas autem & ſine diſciplina quæſtiones, devita. 2. *Tim.* 2. 23

Semper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis pervenientes. *Ibid.* 3. 7

Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. 2. *Pet.* 1. 20

*Scriptura difficilis eſt intellectu.*

ET difficile æſtimamus quæ in terra ſunt: & quæ in proſpectu ſunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cælis ſunt quis inveſtigabit? Senſum autem tuum (*Domine*) quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum Sanctum tuum de altiſſimis: &c. *Sap.* 9. 16

Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. 2. *Petr.* 1. 20

Interpretabatur illis (*Chriſtus ſcripturam*) *Luc.* 24. 27. *&* *verſu* 45. Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas.

Accurrens autem Philippus (*ad Eunuchum*) audivit eum legentem Iſaiam Prophetam, & dixit: Putaſne intelligis quæ legis? Qui ait: Et quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi? &c. *Actor.* 8. 30

*In Epiſtolis Pauli* ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & ceteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem. 2. *Petr.* 3. 16

*Nec omnia ſcriptis Apoſtoli mandaverunt.*

MUlta quidem & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. *Joan.* 20. 30

Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus: quæ ſi ſcribantur ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros. *Ibid.* 21. 25

Cetera autem cum venero diſponam. 1. *Cor.* 11. 34

Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam & atramentum; ſpero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui: ut gaudium veſtrum plenum ſit. 2. *Jo:* v. 21. Idem 3. Jo: v. 13

Multa habui tibi ſcribere, ſed nolui per atramentum & calamum ſcribere tibi. 3. *Jo:* v. 31

Itaque fratres ſtate; & tenete traditiones quas didiciſtis, ſive per ſermonem ſive per epiſtolam noſtram. 2. *Theſſ.* 2. 14

*Scriptura, nec lex eſt & judex, ſed Sacerdos.*

POſtquam autem (*Rex*) ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a ſacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum. *Deut.* 17. 18

Et cum fuerit controverſia, ſtabunt in judiciis meis, & judicabunt: leges meas, & præcepta mea in omnibus ſollemnitatibus meis cuſtodient. *Ezech.* 44. 24

Labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt. *Malach.* 2. 7





## TITULUS XII.

Seditio. *Vide & Conjuratio.*

*Seditionis exempla & punitio.*

Variis locis. COre, *Dathan, & Abiron cum* 250. *viris* Num. 16. 12. *uſque ad* 32. *Iſraelitæ ibid.* v. 41. *&* c. 20. 3. *Ephraimitæ* Judic. 12. 1. *per tot.* Abſalom 2. Reg. 15. 10. *ejuſdem punitio* cap. 18. 9. *Semei* c. 16. 6. *punitio ejus* 3. Reg. 2. 41. *Seba filius Bochrin.* 2. Reg. 20. 1. *ejus punitio ibid.* v. 21. 3. Reg. 16. 9. *punitio ejus ibid.* v. 18. *Sedechias* 4. Reg. 24. 20. *&* c. 25. 6. *Mallotæ & Tarſenſes* 2. Mac. 4. 30. *Barrabas* Marc. 15. 7. Luc. 23. 18. *Theodas cum ſuis* Actor. 5. 36. *Judas Galilæus ibid.* v. 37. *Quidam Judæ* c. 15. 1. *Demetrius cum ſuis* c. 19. 23

## TITULUS XIII.

*Semen.*

*Semen divini verbi ſapienter ſeminatur.*

ECce, exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum. *Matt.* 13. 3

Ecce exiit ſeminans ad ſeminandum. *Marc.* 4. 3. *Idem* Luc. 8. 5

*Fraudulenter depravatur.*

CUm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici, & abiit. Cum autem creviſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania, &c. *Matt.* 13. 25

Zizania autem, filii ſunt nequam. Inimicus autem, qui ſeminavit ea, eſt diabolus. *Ibid.* v. 38

*Differenter acceptatur.*

ET dum ſeminat, quædam ceciderunt ſecus viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt ea. *Matt.* 13. 4

Qui ſeminat, verbum ſeminat. *Marc.* 4. 14

Semen, eſt verbum Dei. *Luc.* 8. 11

Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo. Proferens autem ſpinas ac tribulos, reproba eſt, & maledictio proxima: cujus conſummatio in combuſtionem. *Hebr.* 6. 7

*Prudenter ſegregatur.*

MIttite falces, quoniam maturavit meſſis -- quia multiplicata eſt malitia eorum. *Joel.* 3. 13

Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam. *Matt.* 9. 37

Servi autem dixerunt ei: Vis, imus, & colligimus ea? Et ait: Non --- Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus; Colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum. *Matt.* 13. 28

Meſſis vero conſummatio ſæculi eſt --- Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur; ſic erit in conſummatione ſæculi (*hujus.*) *Ibid.* v. 39

Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? Ecce dico vobis: Levate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ ſunt jam ad meſſem. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: ut & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit. *Joan.* 4. 15

Ego miſi vos metere, quod vos non laboraſtis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis. *Ibid.* v. 38

*Semen divini promiſſi honorificum.*

ET benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ: quia obediſti voci meæ. *Gen.* 22. 18

Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus. Non dicit: Et ſeminibus, quaſi in multis; ſed quaſi in uno: Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. *Gal.* 3. 16

Vos eſtis filii prophetarum, & teſtamenti, quod diſpoſuit Deus ad patres noſtros, dicens ad Abraham: Et in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. *Actor.* 3. 25

*Semen boni operis fructiferum.*

QUi ſeminant in lacrimis, in exultatione metent. Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. *Pſalm.* 125. 5

Seminanti autem juſtitiam, merces fidelis. *Prov.* 11. 18

Seminate vobis in juſtitia, & metite in ore miſericordiæ, innovate vobis novale. *Oſee* 10. 11

Qui parce ſeminat, parce & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. 2. *Cor.* 9. 6

*Semen mali operis lethiferum.*

REcordare, obſecro te, quis enim umquam innocens periit? aut quando recti deleti ſunt? Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos, flante Deo periiſſe, &c. *Job* 4. 7